Dissertatio inauguralis medica de telae cellulosa in fabrica corporis humani dignitate.

Contributors

Haller, Albrecht von, 1708-1777. Schobinger, David Christoph, 1726-1792. Universität Göttingen.

Publication/Creation

Gottingae: Abram Vandenhoeck, [1748]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/tw7drn76

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C.H. 3

Setabingla, DC

riores, nec dubitat eas pro secundo fibrarum genere in C. H. a) elementari adsumere.

a) Vid. Illustr. v 1 R 1 Primas Physiologiae lineas 5. IX. p. 3.

6. IV.

Fibras cellulofas non cauas effe, varia omnino argumenta funt, quae demonstrant. Petimus haec a simplicislima, & cita generatione cellulosae fabricae, ex lubrico & gelatinoso liquido, in fila & laminas, per expulsionem liquidissimae partis, formato. Fetus á maturitate sua adhuc remotior, cutem inter subiectosque musculos, loco telae cellulofae & pinguedinis, nihil habet, quam gelatinam aliquam lubricam, in fila muci instar ductilem. Saepius id observauit Illustr. PRAECEPTOR, in horum tenerorum corpufculorum anatome, & aliquoties rem verissimam intueri, adstanti mihi contigit. Ea gelatina, eo tempore inter cutem & musculos haerens, perpetuo horum motu dispulsa sensim & resorbta aquosiore parte, sese attrahens, tandem in adultiori fetu fila format, & laminulas, vicinis partibus vtrinque adhaerentes, & fic cellulofa formata est facili certe mechanismo, sed qui non videtur ullomodo sufficere cavis vasis formandis. porro sententia confirmatur generatione cellulosarum praeternaturalium. Ita faepius fit, vt partes variae C. H. praeter naturam inter se cohaereant, ope cellulositatis intermediae, cellulofis reliquis fimillimae, coniunctae, quae antea in statu naturali liberae erant. Ita saepe pulmo cum pleura connascitur, magna ex parte. Sed nihil adest, vade nasci tunc possit cellulosa talis, eas partes compingens, quam vapor exhalans, intermedius, coagulabilis, viscidulus, resorbta liquidissima parte in fila abiturus. Ita ex pure, alicubi intra cauitates corporis, rupto abscessu, effiso, glutinoso, verissimae cellulosae, omnia v. gr. abdominis

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

minis viscera inter se coniungentes, natae obseruatae suerunt Ill. PRAESIDI. Modo id factum esse mox enarrato, nihil dubitandum. Hae praeterea cellulosae, aliis naturalibus cellulosis telis obseruantur simillimae. Quis nunc fila illa glutinosa, tumultuarie adeo facta, tamque cito producta, pro totidem adfumat canalibus cavis? Certe plus in his generandis requiri videtur artificii. ma iis, quae nunc maxime diximus, fieri obseruamus in sanguine nostro, qui conquassatas in fila, laminas, membranas tandem RVYSCHII fallaces, abit, fine suspicione cauorum vasorum, eas membranas efficientium. Eadem porro observare licet extra C. H., in corporibus duobus v. gr. afferculis, glutine fabrili inter sese iunctis: si enim, antequam induruerit gluten, caute hos afferculos a se auellas, videbis in intermedio spatio millena fila, omnem directionem sequentia, similia iis, quae exhibet cellulosa. Cum adeo cellulofae ortum adeo fimplicem effe, ex glutinoso liquido, videamus; cum cellulosae p. n. natae, naturalibus simillimae sint; cum similia extra C. H. ex quouis glutine fiant, amisso tantum aquoso: nulla certe ratione probabile videtur, fila cellulosa laminasque constare vasculis, sua liquida vehentibus, organicis. Et praeterea ex vsu, quem praestat corpori, satis certe videmus, non vafa, fed vincula tenacia omnium partium, ipforumque vasorum, eam producendo, voluisse Naturam. Nec nutritio cellulosae fabricam vasculosam ipsius postulat, vt dein patebit; vt nunc ne quidem necesse sit adducere argumentum negatiuum a repletione, quae nunquam vllum filum cellulosae, etiam crassissimae fabricae, aut latissimam aliquam laminam repleuisse visa est.

DE DIGNITATE TELÆ CELLVLOSÆ IN C. H. 5

6. V.

Verum, etsi non ex vasis componatur cellulosa tela, plurima tamen, quin infinita numero vafa arteriofa, venofa, fanguifera, ferofa, exhalantia & inhalantia, nervosa denique in ea haerere, & per eam decurrere, nullum plane dubium est. Nam inde a corde, maximisque vafis, ad minima vsque, nulla arteria, nulla vena, nullus extra cranium nervus, fine ambeunte & involuente cellulosa ambulat a). Ab ea enim omnis eorum stabilitas, connexio cum reliquis partibus, flexurae &c. pendent, vt in progressu magis patebit. Vasa rubra, eam telam percurrentia, vbique in corpore oculus demonstrat, vti & neruos copiosos per eandem ad sua loca tendentes. Verum mirum est, cum tot nerui eam percurrant, vix tamen eam sentire quicquam, qua de re sub adiposae tra-Etatione plura dicemus. Vafa exhalantia probat fubtilissimus ros, quo cellulosae non pinguedinosae madent, iniectio liquoris alicuius colorati, vel ichtyocollae, in vala maiora arteriola, quo facto statim subtilissimus ros coloratus in omnes cellulosas transit, cellulasque pingit; Aqua vero iniecta, in cellulas apertis vasorum ostiis effufa, hydropem perfectum imitatur, in quo morbo eadem fiunt, sero sanguinis in eas delapso cellulas, nec resorbto. Venas vero inhalantes & reforbentes in cellulas aperiri, iniectio eadem per venas facta, & eodem modo in cellulas penetrans, item hydropis avaoáona per frictum partium, & roborata vasa saepe sanatio, docent, vt de his nullum superfit dubium. b)

- a) Vid. Ill. PRAECEPTOREM in Physiolog. Compend. 6. XIII. & XXIII.
- b) Ill. PRAESES. cit. l. §. XVII. Cl. KAAU de perspirabilit. n. 797. & 800.

6 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

6. VI.

Ex iis, quae praecedente spho dicta sunt, patet, nutritionem, seu regenerationem cellulosae, non esse dissiciem conceptu, & conuenire fere cum eius ortu. Scilicet ille ipse ros subtilis, viscidus tamen magis minusve, quem arteriolae in cellulas apertae exhalant, sibrillulis adhaeret, locaque vacua a detritis fibrillis occupat, motuque partium vicinarum, vt musculorum, ictuque arteriarum firmius coagmentatur, donec, dissipato omni aquoso, sibram cellulosam essiciat tenacem. Non ergo requiritur, vt canalibus cavis siat cellulosa, intra quos demum, vt alibi, nutritio siat. Illustrant haec, quae supra s. IV. diximus, de ortu cellulosae fibrae.

S. VII.

Sic facta Cellulosa tela fere totum corpus perambulat. Nempe nullus musculus, nulla fibra musculosa, nullum vas est in toto C. H. quod ea non cingat; nullibi duae membranae, sine illa intermedia, cohaerent; magnarum membranarum, cavitates corporis cingentium, faciem exteriorem vbique occupat; omnia vacua inter partes interstitia replet; cum vasis intra ipsa pergit ossa; viscerum magnam partem, imo aliqua tota fere constituit; multas denique membranas, imo omnes, stipatior tantum ipsa consicit, & vno verbo nullibi non in corpore adest. a)

a) v. Ill. Praesidem c. l. 6. XIII. K'AA'v c. l. n. 777.

S. VIII.

Interim tamen spatiola illa, seu la minarum cellulosarum, fibrarumque interstitia, cellulae dicta, paucissimis forte exceptis, omnia, quotquot sunt in corpore, inter se communicant, quauis cellula in sequentem, lateralesque omnes aperta, per omne corpus. Id vero variis omni-

DE DIGNITATE TELÆ CELLVLOSÆ IN C. H. 7

no argumentis docemur. Ita saepe, dum Chirurgi vulneribus, Thoraeis imprimis, incauto more suo, non excluso antea aëre, emplastra tenacia, turundas, & similia adplicant, aër interceptus cellulosae tunicae cuti subiectae sese insinuat, & non raro totum corpus rarefactus perambulat, vt in unam quafi aeream bullam corpus totum mutetur, vt obseruatus sit aër in ipsum humorem vitreum oculi penetrasse, nulla certe alia via, quam per cellulas communicantes eo delatus, secundum vasorum maxime du-Etum. Vidit MAGNVS BOERHAAVIVS, a) alique celebres viri, hoc malum subinde totum corpus a capite ad calcem usque occupasse. Vocant hunc morbum εμφυσημα, inflationem. Adoritur, occasione data, inprimis corpora gracilia, pauciorique pinguedine praedita, vbi quippe minus impedimenti inuenit aër calore corporis rarefactus, sese expansurus. Hoc ipsum emphysema callide norunt imitari, qui boves aut equos vendere solent. Hi, vt macilentis forte hisce animalibus speciem falsam concilient, vulnusculum alicubi cuti infligunt, vbi laxiorem sciunt cellulosam esse, & dein totum animal inflant. b) Idem Laniones agunt, ut facilius cutem mactatis animalibus detrahant. Eadem omnia nobis iterum demonstrat hydrops ava σάρκα, saepe totum corpus sensim occupans, vt exempla fint hominum talium, quibus foco adfidentibus, adusta fine sensu planta pedis ad cellulosam vsque, aqua libera inuenta via de toto effluxit corpore, maxima copia, cum maximo malorum praecedentium levamine. PRAECEPTOR observationes practicas, vbi in codem malo aqua hydropica in ipfa transiit corpora cauernosa penis, separata alias, vti videtur, a reliquo celluloso habitu c). Quae omnia satis, puto, ostendunt, cellulosas telas corporis nostri, ne vnica quidem excepta; omnes inter

inter se communicare, vnumque quasi cavum efficere, & ex una cellula in reliquas omnes patulam esse viam.

a) Vid. Commentar. ad Institut. Vol. VI. p. 87.

b) Vide de hoc artificio Cl. MAVCHARTUM in Ephem. N.C. centur.

1. observ. 12. & LITTRIUM Mem. de l'Acad. R. des Sc. 1713. &
Celebris Scaphusiensium Practici, D. á WALTKIRCH, Diss. inaugur. de emphysemate, Leidae habitam.

6) Magni Viri compend. Physiolog. §. XXII. & Comment. Boerh.

Vol. 1. p. 286. ibique not. 2.

§. IX.

Varia autem in diuersis corporis locis discrimina Quae tamen omnia eo faltem admittit tela cellulosa. redeunt, vt vno loco fit in vniuerfum laxior, amplioribusque laminis, fibrisque longioribus, fiat, & maioribus cellulis; alibi strictior, tenuior, breuisque sit, breuioribus filamentis constans; Alibi in cellulas deponitur pingue oleum, alibi hoc ipsum, sed subtilius, minus in pingues glebas coeuns; alibi denique tenuissimus vapor perspirabilis, viscidulus tamen nonnihil, cellulas, laminas, fibrillulasque irrorat, ex vafis exhalantibus in cellulas apertis exfudans, venulis dein iterum inhalantibus inde recipiendus; a) paucis in locis vero ipsum excipit rubrum fanguinem. Differt quoque, dum alibi durior, alibi mollior reperitur in corpore. Laxiorem & in vniuerlum molliorem eam in sequiori sexu esse, observat Celeberr. KAAU b). Hinc Aciasyuvaixas iam vocauit HIPPOCRATES. Quo demum homo aetate provectior est, eo durior sensim cellulosa contractiorque reddi videtur. Omnes recensitas differentias, cum vsibus diuersis, pro loci varietate, sub recensendis mox speciebus variis cellulosae telae, sollicite, quantum licebit, indicabimus.

a) Vid. Ill. PRAESIDEM in Compend. Physiolog. n. XVII.

6) De Perspirab. n. 790. 791.

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C.H. 9 TELA CELLVLOSA SVBCVTANEA

S. X.

SEV ADIPOSA.

Prima omnium nunc se se consideranda offert cellulosa illa tela, quae inter cutem subiectosque musculos, horumque in interstitiis vbique haeret, & ob adipem seu pinguedinem, quam plerisque locis subcutaneis admittit, vulgari tunicae adiposae nomine Anatomicis adpellatur. Haec ergo laxissimis plerumque laminis, & cellulis amplioribus constat, valde dilatabilibus. Eleganter winslovs eam describit, quod sit contextus plurimarum laminularum membranosarum, irregulariter plane inter se connexarum, ita vt plurima interstitia maiora, minora, omnia inter se communicantia, forment & intercipiant. His, inquit, interstitiis datur cellularum nomen, & illud, quod simul omnes componunt, textus cellulosus adpellatur. a) haec ipsa descriptio plerisque etiam reliquis cellulosis telis in reliquo corpore convenire, alibi magis, minus alibi, possit.

a) Traité des Tegumens f. 67.

6. XI.

Nullibi inter cutem & musculos subiectos locus est, vbi non intermedia haereat haec cellulosae species, imo totum quemque ambit musculum, eumque a vicino integre separat, simul tamen cum aliis coniungit. Ab eadem laminulae se se demittunt inter lacertos musculorum visibiles, maximos, musculum proxime constituentes totalem. Hae ipsae laminulae emittunt denuo alias subtiliores, similiter lacertulos proxime minores involventes, eoque

coque propagatio harum cellulosarum laminularum, fibrarumque, in musculo procedit, donec ultimae visibiles fibrae, & tandem microscopicae subtilissimae, sua quaeque vaginula cellulofa subtiliori investiantur, quasi lanugine aliqua, observante dudum LEVENHOECKIO, MUYSIO, aliisque claris variis, consentientibus & hodie omnibus, quotquot funt, Anatomicis. Non ergo probabile est, has fibrillulas ultimas cellulofas esfe nerveas, fibris muscularibus circumdatas, uti celebres crediderunt Viri, cum manifestum sit, nihil aliud eas esse, quam propagines subtilissimas maioris & visibilis cellulosae, musculum ambeuntis exterius, & vbique intra fasciculos, fibrasque eius sese demittentis, easque coniungentis inter se. tenerrimam musculi fibram subtilissima acu ab altera separes, apparet membranula quafi, aquosae pelluciditatis, intermedia, & sic ubique in toto musculo idem sit, verum transversarum fibrillarum tunc nihil apparet a), nisi rupta forte illa membranula cellulosa tenerrima intermedia in fibras abeunte, quae forte hoc modo in minoribus imposuere magnis viris.

6) V. KAAU c. l. n. 778- 782.

9. XII.

In huius maxime cellulosae subcutaneae, musculosque ambeuntis, cellulas secernitur pinguedo ab arteriis, quae copiosae cellulosam pererrant, cellulasque ramulis suis ambeunt, sanguiseris. Est haec pinguedo corpus oleosum, inslammabile, insipidum, calore magno in suidum liquescens oleum, quale est mox a secretione sua, mora dein resorbtaque tenuiori parte propius ad solidam formam accedens, frigore in glebas adiposas coagulabilea). Ille adeps non sorte per peculiares longosque ductus.

Malpighianos, vel ope glandularum e fanguine in cellulas secernitur; sed ex exiguis arteriarum rubrarum ostiolis, poris, brevibus valde ductibus hinc inde per omnem arteriae decursum, liquidus adeps in cellulas circumiectas deponitur exsudatque, amplo certe facilique secretionis organo, quod demonstrat aqua arteriis iniecta facillime & cito in cellulas effluens, imo aëris immeabilioris longe aqua aeque facilis ex arteria huc transitus est. Sic forma liquida pinguedo huc secreta, resorbta per venas tenuiori parte, parte etiam exhalante forte, magis soli-Verum calore magno, exercitatione valida, liquefacta pinguedo venas iterum intrat sanguinemque, & omni modo confumitur, quod equus pinguis, labore cito macilescens demonstrat, itemque homo laboribus probe exercitus. Clarius idem observamus, & cum magno saepe metu, in febribus acutis. Etsi in his casibus accedat, quod fanguis, loca secretoria rapide praetervectus, cesset tunc novum adipem eo deponere, cum haec secretio moderatum & aequabilem fanguinis motum requirat, quo fine particulae pingues promiscue cum reliquis abripiuntur torrente fanguinis. Quam primum vero motus languinis sedation fit & aequabilior, tune accedente bono victu & corporis quiete, brevi tempore copiolissima iterum congeritur pinguedo, in dispositis imprimis & laxis corporibus.

a) Vid. Ill. PRAESIDEM Physiolog. S. XX.

6. XIII.

In fetu quatuor circiter mensium, loco pinguedinis nihil adest, nisi gelatinosa mucidaque aliqua substantia; sed quo proprior a partu abest, quo persectior, eo magis illa gelatina primo in granula, seminis instar milii, compingi-

pingitur, sensim in glebulas, deinde in moleculas vere pinguedinosas, firmiori denique iam corpusculo, in maiores glebas adiposas abit.

6. XIV.

Sic, dum cellulofa tela maiores adhuc mufculi lacertos ambit, in pinguibus hominibus fatis adhuc ibi adipis Quae vero fubtilior iam, inter minores, tandemque ultimos visibiles lacertulos & fibras intercedit musculares, ea quidem subtiliori oleo, imo in minutissimis subtilissimo potius vapore, lubrico tamen, irrigari videtur, ope arteriolarum minimarum musculi fabricam una cum ea pererrantium. Sunt tamen exempla, ubi & fubtilior musculorum cellulosa verum & copiosum adeo recepisse observata est adipem, ut, disparatis fibris carneis, musculi quasi evanuerint, prae pinguedinis copia. casus celeberrimo olim salzmanno contigit, etsi rarior sit, & ab eo in propria dissertatione descriptus est a).

a) De multorum musculorum defectu.

6. XV.

Ipfa vero haec fabrica cellulofa fubcutanea neque ubique ejusdem cum adipesuo est crassitiei, neque ubique, quin loca aliqua excipiantur, pinguedinem recipit. differentia tum utilitatem corporis, tum aptam eius formam respicit. Sic ubicunque magna inter musculos relicta fuissent interstitia, quae inaequalem reddidissent partem, copiosissima ibi interposita est cellulosa cum adipe, omnia aequabiliter replens; idem factum videmus, ubi ossa eminentia angulosam horridamque figuram produxis-Hinc mira certe tristisque mutatio est, quae conspicitur in corporibus v. gr. phthisicorum, qui a morte

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C.H. 13

jam propiores funt, & quibus totum corpus offibus prominentibus horret, amabilisque & aequabilis antea facies, nunc in tristissimam, vt aiunt, Hippocraticam faciem abit. Hinc in statu naturali observamus copiosum adipem mollemque, circa musculos faciei, ut nullum os promineat; in orbita, ubi mollissima pinguedo ubique posteriorem oculi partem ambit, quae globum oculi mobilissimum, omni attritu contra vicinas partes & ossa, tutum reddit, eique per musculos suos, ad latera, sursum, deorsumque acto, mollitie sua cedit, ictus inflictos hoc modo obtundit & inertes reddit, nisi nimia vis fuerit, musculis ipsis oculi eadem, quae aliis, officia praestat; copiosa pinguedo circa glandulam parotidem, sub aure, & ad glandulas fubmaxillares &c. scirrhi harum partium periculum minuit, dum vim externam illatam codem modo obtundit & multum infringit; in reliquo corpore plurimum tunicae adiposae est, ubicunque ob validos & frequentes motus, vel alias caussas, magnum attritum fore CREATOR praevidit. Sic ubique copiosa magnis musculis est circumfusa, in artubus superioribus & inferioribus. est in parte abdominis antica, imprimis sub umbilico, in regione hypogastrica, ibique in valde obesis aqualiculi instar propendet; copiosissima est, quae circumfunditur musculis glutaeis, taediosissima ablatu, si praeparare hos musculos velis, quae mollis in modum culcitrae hic posita est, quum hisce partibus multum sit insidendum, & in eo situ tuberi ossis ischii toto corporis trunco innitamur, hinc misere ibi omnia excoriarentur, uti cuti'circa os facrum, coccygem, a diuturno decubitu accidit, ubi compressis vasis, nervis, gangraena sequitur & sphacelus, quaeve praecedunt comitanturque mala. Haec mala praecavet multa pinguedo illa loca cingens. Femur totuna

tum denique plurima cingitur adipofa tunica, abundante adipe inprimis inferius ad articulum cum tibia & fibula, seu in parte postica infima plana ossis femoris, inter divergentes tendines musculorum flexorum tibiae & inde ad gastrocnemios usque. Et eo modo omnia vacua spatia replentur, quae longius foret omnia enarrare. Denique planta pedis & vola manus copiofa & duriori cellulofa instructae sunt, cum pinguedine in globulos figurata. Eam copiosam invenimus circa ea imprimis pedis loca, quibus stando innitimur, ut sub calcaneo & anteriori inferiori parte pedis, circa capitulum in primis anterius offis primi metatarsi pollicem s. hallucem sustinentis. Hisce nimirum particulis innititur, dum stamus, universum corpus; manu dura corpora quotidie tractamus. Hinc attritus maximus utrobique. Haec in utroque sexu. In foeminis mammarum substantiam, praeter glandulas & ductus lactiferos, copiosa pinguedo ingreditur, glandulis tum intermista, tum eas ambiens & molliter fovens. Labia pudendi non sunt nisi cutis plicae, cum intercepta molli pinguedine.

6. XVI. Verum strictior est haec subcutanea cellulosa alibi, cum pauca vel etiam nulla pinguedine. Loca ordine praecipua notemus. Huc ergo pertinet cellulosa illa inter cutem frontis, & musculos subiectos frontales; quae est inter eandem & galeam aponeuroticam cranii, seu tendinem communem musculorum frontalium & occipitalium, porro inter cutem & ipfos occipitales, & temporales musculos, in horum superiori parte. In ea omni sede, pauca & adstricta ad cutem est pinguedo. Nihil pinguedinis habet cellulofa, quae in palpebris est, tenera interim & satis quandoque dilatabilis, ut in tumoribus aliisque haharum partium morbis patet. Nempe in his locis cutis motus erat necessarius, hinc fibras musculares ipsi hinc inde inseri oportuit, cui rei pinguedo crassior obfuisset. Nulla pinguedo est in rubra parte labiorum oris. Auricula, excepto lobulo, sub cute strictam cellulosam habet, omnis pinguedinis plane expertem, quae reflexioni radiorum sonororum hic maxime contraria fuisset, eos absorbendo, obtundendo; & eadem ex ratione, similis fabricae est cellulosa, quae sub cute continuatur in meatum auditorium, in eo diversa, quod hic reticulum quasi aliquod repraesentet, quod glandulas s. folliculos ceruminosos locat a). Parum quoque pinguedinis retro aurem, circa totam eam regionem, & circa processum mastoideum invenitur. Ligamenta auriculae non sunt, nisi vincula dura cellulofae ibi strictioris, quae auriculam ad partes vicinas anterius & posterius annectunt. Ubicunque in C. H. cutis arctius subiectis partibus cohaeret, ut ibi magis introtracta sulcos, lineas profundiores, constantes, reliqua cute utrimque eminente, formet, id semper a breviori ibi & contractiori cellulosa pendet, pingui nunc, nunc simul impingui. Huc pertinent alia omnia loca, ubi cutis aliquandiu subiectis partibus stricte & inde non elevanda fere cohaeret. Ad utramque classem refero locum illum ad marginem inferiorem mentalem maxillae inferioris, ubi valde cutis adhaeret musculis & osfi etsi per breve spatium, valde contracta cellulositate; cellulosas cuti subiectas circa articulationes, quae plerumque parum pinguedinis quoque habent, hac dispulsa ob perpetuum, uti videtur, motum flexionis & extensionis, vel alibi rotationis; porro huc pertinent cellulofae, quae funt ad initium volae manus, circa carpum, in vola manus ipfa, ca imprimis circa loca, ubi fulci illi maiores fiti

fiti funt, ad articulationes offium metacarpi cum phalangis digitorum, ad phalangarum inter se articulationes, in facie nempe concava, ubi cutis manifeste ob brevem cel-Iulosam arctius ossibus cohaeret; idem verum est de cellulosa in dorsali parte digitorum, ad secundas tertiasque phalangas, ad tertiam vero maxime est arcta subiecta cel-Iulosa & dura. Idemque valet de cellulosa pedis circa notata loca. Sic strictior contractiorque est eadem circa totam fere spinam dorsi, arctius itidem cute ejus opesubiectis partibus connexa; circa umbilicum, ut in obesis fovea ibi loci & calix quafi oriatur, cum pinguedo ibi cellulosam breviorem non satis distendere possit; similiter brevis est circa inguinales plicas, & eas, quae nates a femoribus summis utrinque distinguunt.. Impinguis & brevior fubest cuti, ubi tibiam anterius contegit, hinc impingentes ea parte in durum aliquod & resistens corpus, acerrime dolemus, cum nulla pinguedo vim ictus moderetur hoc in loco, quin nudum mox feriat periosteum ossi superinductum. Malleolis quoque, interno & externo, brevis ope cellulosae cutis insternitur. De reliquo pede, eadem vera sunt, quae de manu, praeter ea quae supra notata funt de pinguibus pedis locis. Adeoque omnes hae in cutis ad fubiectas partes nexu observandae differentiae, unice a laxiori nunc, nunc contractiori & arctiori adipola s. cellulositate subcutanea pendent, & majori alibi, alibi minori pinguedinis copia. Faque res ita se habet, ut plicae illae, & arctiores cum aliquibus locis cutis cohaesiones in obesissimis quoque tales remaneant, cum fabrica Cellulosae naturalis id ita ferat. In plerisque ita se res habet, aliae pinguedine fartae minus tunc fiunt Cellulosa quoque subcutanea scroti, & quae inter cutem & exterius involucrum corporum cavernoso-

rum

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C.H. 17

rum penis est, sine adipe, excepta aliquando suprema parte, b) reperitur. Nec dartos aliud quid est, quam verissima cellulosa fabrica interioris faciei scroti, de qua re nullum amplius dubium est ill. praesidi. Est tantum densior, sirmiorque cellulositas, quae slatu adacto facillime in bullas abit, quae absque ulla pinguedine sunt. Experimentum facile sit. Flatus injiciatur per vulnusculum aliquod inguini inslictum, disparebit tunc omnis cogitatio de fabrica aliqua musculari darti, & totum quoque scroti septum in verissimam cellulositatem mutatur.

a) vid. ILL. HALLERI Comp. physiolog. n. 472.

b) vid. RUYSCHIUM in respons. ad Ep. problem. I. & Tab. I. sig. 3. & Cl. KAAU de perspirabilit, n. 788.

6. XVII.

Vafa plurima, omnis fere generis, in hoc panniculo adiposo oberrant ubique, & inde parvis trunculis, sed copiosissimis, ad cutem tendunt. De nervis idem verum est, sed mirari tamen licet, adiposam tunicam, percurrentibus eam tot magnis minoribusve nervis, nihil tamen sensus fere habere, quod quidem manifestum est in hominibus & animalibus obelis, quorum adipolo panniculo aciculae infiguntur, fine ullo doloris fenfu, postquam cutis semel traiecta fuit. Nervi tamen, & in cellulosa tunica & adipe, iam in parvos fatis ramufculos dividuntur, mollissimique fiunt, ut iam tum cultro Anatomici se At forte semper nudata & expansa nervi se subducant. pulpa ad sensum opus est? At omnino sensus acris sequeretur, fi nervus laederetur in cellulofa subcutanea; sola vero fortuna facit in pinguibus, ut raro feriatur nervus in plurimo adipe quasi submersus.

6. XVIII.

Usus aliquos tunicae adiposae subcutaneae iam sub tractatione ejus vidimus; considerandi adhuc sunt reliqui, iique maximi. Constituit ea Imo omnino integumentum aliquod universale corporis humani. Etsi enim non ubique pinguis est, longe tamen plerisque locis adipe suo instructa deprehenditur, cellulae ipsae vero, nullo, ut vidimus, loco sub cute non adsunt. Adiposa ergo Tela egregie corpus nostrum a frigoris vi defendit, cui scilicet officio oleosa inflammabilia corpora imprimis apta nata sunt; hinc etiam lana ovium pingui oleo & vix unquam plane eluendo obducta, adeo valide calorem conservat, ut in media nive opertae oves non solum perdurent, sed exhalatione calida non raro nivem fundant in Islandia. Hinc homines obesi longe facilius, quam macilenti, frigorisviolentiam ferunt. Partes illae, quibus adipem deesse vidimus, velubi valde paucus adest, multo acrius & prius a frigoris vi luunt, quam reliquae copiosiori adipe involutae. Videmus id maniseste per tristia exempla eorum, quibus in frigidissimas Boreales regiones navigantibus, cum aliquandiu ibi commorati essent, eae ipsae partes, ut nasus extremus, extrema digitorum manuum & pedum, primae frigore corruptae gangraenosae, sphacelataeque deciderunt, salvis adhuc reliquis adiposa tunica magis munitis. Hinc Gentes il-Lie Boreales, itinera facienda dum suscipiunt, eas partes sebo, pinguedine piscium, similibusque obungunt, & ita a gelu tutas praestant, & sebo ita obuncta tacie rigidissimum frigus Alpium Norwegicarum & Iemticarum feliciter tolerant. Hinc & aves earum regionum, & pifces copiosissimo adipe instruxisse providentem Naturam videmus. Porro IIdo tunica adipofa, hinc cuti, illinc musculis subiectio adhaerens, haec ita inter se iungit, ut utrobique tamen, & cuti & musculis, debita sua conservetur mobilitas, attritusque simul mutuus caveatur. Scilicet contra attritum utrinque est molle oleum pinguedinis; ad mobilitatem insuper confert laminularum fibrarumque cellulosarum extensilitas & mollities, qua motui cedunt, & demum in pristinum situm proprio suo elatere restituuntur. Ubi per vulnera suppurantia & ulcera Cellulosa haec confumitur, ibi cutis cum musculis concrescit, & immobilitas valde incommoda ibi loci sequitur. adeps transudans cutem lubricat, ab ariditate praeservat, adeoque siccitatem indeque metuendas fissuras eius praecavet, idemque fere lubricandi, demulcendi, attritum mutuum avertendi officium musculis praestat, lam diximus quomodo cellulosa ipsos musculos involvat, minimas eorum fibras tandem omnes in unum musculum adunet, quemque a vicino separet, & tamen unum alteri iungat. Eorum ipsorum quoque agentium inter se attritum, unde inflammationes aliaque gravia mala oriri possent, eodem modo impedit; eos in actione determinat; ne irregulariter omnes eorum fasciculi & fibrae, agente musculo, distorqueantur & loco suo evagentur, cavet; sic quoque durior eadem circa tendines, varias hisce vaginas & involucra saepe callosula praebet, alibi tamen aeque mollia ac aliis locis in C. H., quibus iidem in actione sua certius determinarentur. Mira certe confusio oriretur inter musculos tendinesque, ad quemlibet motum, nise cellulosa tali coërceretur musculus totus una cum tendine. IV to, vacua interstitia replendo ad formam pulchritudinemque corporis confert, plurimis locis, praeprimis in facie. In abdomine tandem, copiosa cum adipe cellulosa, praeter reliquos iam citatos usus, imprimis calefaciendi, vim quoque ictuum externorum moderatur, obtundit, suffocat.

cat. Reliqui forte usus supra, sub ipsa eius perlustratione, iam hinc inde funt memorati. Vasa munire & ad sua loca tuto perducere, officium commune est omnibus cellulosis corporis humani.

S. XIX.

Variae nunc pinguedinis species, eius elementa chemica &c. hic essent recensenda, diversusque variis locis usus; verum hic brevioribus nobis esse licebit, partim quod magis de ipía fabrica cellulofa, quam de contentis eius, agere nobis praestituerimus, partim quod, sub recensendis variis Cellulosae speciebus, cuiusque contentum humorem breviter quoque simus allegaturi. & alia similia hic considerare, ipsi angusti opellae limites vetant.

6. XX.

Haec erat breviter pertractata Cellulosa subcutamen, inter cutem musculosque obvia. Vidimus, eam ubique musculos involvere suis productionibus, & inter eos serpere; adeoque nullum potest esse dubium, quin semper eadem ratione introrfum progrediendo tandem cum interioribus corporis cellulosis cohaereat, & in continuum fystema cellulosae omnes abeant, quod equidem supra per experimenta allegata demonstratum dedimus. mum adeo, post Adiposam subcutaneam, ad Cellulosas illas exteriores magnarum membranarum cavitates corporis magnas inveltientium, Peritonaei, & Pleurae, considerandas accedimus. Hae magnae membranae non, uti diu vulgaris error ferebat, duplici vera lamina, quarum una alteri superimposita sit, constant, sed unica densa, valida, laevi qua cavum respicit, extus autem adhaerente multa asperitate cellulosa, eas vicinis partibus nectente, aliis-

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C. H. 21

que usibus inserviente, fiunt. Primam videamus cellulosam peritonaei, & partium inde pendentium.

CELLVLOSA FABRICA PERITONAEI. 6. XXI.

Peritonaeum, notissimum est, membranam esse simplicem, densam, elasticam, quae totam abdominis caveam cingit, plurima viscera, cum intestinis & ventriculo, intra productiones suas continet; dum renibus, magnis vasis, utero, vesicae incumbit tantum, intestinum vero rectum plica quadam sui obtegit transmittitque. illius limites hic describere haud licet, necessariam ob brevitatem, cum de parte eius cellulosa potius hic sermo nobis fit, ad cuius considerationem haec sufficere poterunt. Succingit nempe totam diaphragmatis inferiorem faciem, faciem interiorem musculorum abdominalium sibi proximorum; posterius Psoae & Quadrati lumborum faciem tegit anteriorem; iliacum in facie interiori ossium ilium, brevique, omnes sublinit abdominis cavi parietes. Peritonaeum hoc intus politum, laeve, rore exhalante perpetuo madidum, extus, qua musculos iam dictos respicit, ubique sibi adhaerentem nactum est asperitatem cellulosam, quam eleganter Celeberr. winsloo apophysin quandam fibrosam & folliculosam internae & verae laminae peritonaei adpellat a). Est verissima cellulosa tela, similis aliis in C. H., cuius ope peritonaeum omnibus viciniis firmiter, & tamen, uti videtur, cum quadam mobilitate & libertate, annectitur. Habet ea cellulosa easdem, quas aliae, differentias, diversa pro diversis peritonaeo subiectis partibus locisque.

al Tom. III. Tr. du bas Ventre n. 24.

22 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

6. XXII.

Brevissima & arctissima haec cellulosa est, ubi peritonaeum adhaeret tendinibus musculorum abdominis transversalium, partem eorum inferiorem versus, a) etsi minus id ita se habeat in infantibus; arcta est & stricta satis inter idem peritonaeum & faciem concavam septi transversi, etsi hoc loco striis pinguedinosis non plane observetur destituta, quae necessariae videntur ad lubricandas, ut alibi, carnes musculosas diaphragmatis. mnium strictissimam eam invenies inter uterum & peritonaeum ipsum involvens, superius maxime ad fundum uteri, ubi adeo arcta est, ut peritonaeum ibi vix separari ab utero queat. b) Neque hic pinguedinem ullam habet haec cellulofa, ficuti & prius dictis locis omni prope caret, fi exiguas valde hinc inde quandoque observandas strias excipis. Aliter quoque id se habere deprehenditur, in hominibus valde obesis, animalibus saginatis &c. Caeteris locis, exceptis mox dicendis, in universum brevis quoque & stricta est haec cellulositas.

a) Vid. 111. PRAESIDEM in Comp. physiolog. n. 639. WINSLOO cit l. n. 28.

b] Comment. Boerh. T. V. Vol. II. p. 28. not. b.

6. XXIII

Verum circa renes, haec ipsa cellulosa exterior peritonaei verissima & laxa admodum adiposa sit, totumque renem utrinque, cum capsulis superimpositis, involvit, copiosissimo repleta adipe. Adeps ille aliqua omnino singularia habet, durior & solidior est, quam alibi in corpore humano, ut in siguras fere quaslibet singi ab Anatomico possit, observante ill. Praeceptore, & cogatur nonnunquam in maximas glebas, quae unciales saepe sint. Tunc causa instammationis, & calculi renum, in praedispositis sieri potest.

potest. Eandem tamen pinguedinem frequenter semiputridam, & a concretione liberiorem in homine deprehendit idem, quem mox citavi, ILL. VIR. a) Non ergo, nifi anteriorem faciem renum, vera peritonaei lamina obtegit, sub ea autem, reliquisque omnibus locis, renem obvolvit ipfa haec laxiffima adipofa, latis & maxime dilatabilibus cellulis facta. Ea cellulofa vafa quoque renalia, capfularia, cum nervis ambit, itemque supremos ureteres, cumque renalibus vasis subtilior facta ipsam intrare renis substantiam, eamque cum iis vasis sensim efficere videtur. Hydatides saltem renales, falso a MALPIGHIO pro auctis saltem magnitudine glandulis elementalibus habitae, demonstrant, cellulosam sabricam substantiam renis ingredi, talesque hydatides ipfe aliquando observavit ILL. PRAESES, fed manifeste vidit, esse tantum aquam in celluloso renis textu stagnantem b). In fetu ea res clarior adhuc est, ubi plurimi renculi minores nonnifi intermedia cellulofa tela fibi invicem cohaerent, qua sensim duriori reddita magisque contracta, renculi illi tandem omnes in unum magnum conglutinantur, remanentibus fere semper divisionum ve-Haec laxa & mollis adipola renem a nimia pressione subiectorum musculorum, Psoae, & Quadrati, dum in actione verfantur, partium demum reliquarum abdominis, defendit, molleque, iis stratum praebet. Forte olei aliquid, intra substantiam renis resorbtum, acrimoniam urinae temperat, uti Cl. Viri suspicantur, etsi certe id dicere nequeas. Ope cellulosae capsula renalis supremo reni cohaeret.

a] Comment. BUERH. Vol. III. p. 200. not. h.

b] c. l. p. 222.

24 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

6. XXIV.

Laxam plus minusve & adiposam esse cellulosam peritonaei, secundum carneas partes musculorum transversalium, observat Celeberr. winslous, a) consentiente KAAU. b).

a] Tr. du bas Ventre n. 30.

6] cit. 1.

6. XXV.

Per hanc cellulosam peritonaei exteriorem telam, more in C. H. solito, plurima vasa, maxima & minora, omnium generum, uti posterius aorta, vena cava, eorumque propagines phrenicae, capsulares, renales, adiposae, lumbales, spermaticae arteriae & venae, nervi, ureteres, anterius vasa epigastrica, ultimae propagines mammariarum, etsi maximam partem hae in musculis evanescunt, decurrunt. Omnia extra peritonaeum sunt. Maiora, ut coeliaca cum ramis suis, mesenterica utraque, illa ad suas partes, hae ad mesenterium & mesocolon mox ab ortu suo tendunt, nec diu in hac exteriori cellulosa oberrant

6. XXVI.

Vario modo externe producitur haec cellulosa peritonaei fabrica. Huc insignem illam refero vaginam cellulosam, quae vasa spermatica, ubi ad hiatum abdominalem, male vulgo annulum dictum, pervenerunt, deorsum comitatur, & tota involvit, continua omnino textui celluloso peritonaei. Ea, verae vaginae instar, recondit & in unum utrinque sascem colligit arterias venasque spermaticas & nervos, cum ductu deferente, quae vasa ad testem usque comitatur, ubi denuo expansa, intra cremasterem & albugineam, vaginalem testis tunicam constituit, verissime cellulosam, bullis successive instabilibus, amplis sactam a). Si tamen slatum immiseris, videbis, cellulas

has tunicae vaginalis cum parte superiori, seu cellulosa fabrica funiculi abdomen versus, nullum commercium habere, cum super epididymidem vicinis tunicis, testique, arctius firmiusque adnascantur & connectantur dictae cellulae. Exterior interim funiculi spermatici facies, observante WINSLOO, minus habitum cellulosum prae se fert, quamfubstantia eius interior, vasis propior, pulposior, cellulo-Eadem fere ratione, in foeminis ligamenta fic dicta uteri rotunda, ubi per annulum abdominis exeunt, deducunt secum productionem cellulosam, cellulis peritonaei exterioribus continuam, disparituram vero cum ipsis in inguine pubem versus, disiectis ibi vasculis, fibrisque forte aliis, haec ligamenta ex parte constituentibus. Nolim enim, tanquam res extra dubium omne iam sit posita, haec sic dicta ligamenta solis vasis & celluloso textui tribuere, quum ILL. PRAESES dubias adhuc in ipsis observet fibras, quas quorsum referat, ipse inpraesentiarum adhuc dubitat c). Hinc interim, tam in viris, quam foeminis, pars commercii inter cellulas peritonaei, cellulofitatemque, quae est inter musculos abdominis exterius, itemque femorum, adeoque partium omnium inferiorum, patet.

b] WINSLOO Tr. du bas V. n. 505.

c] ILL. PRAESES comp. physiol. n. 807.

6. XXVII.

Eadem cellulosa peritonaei exterior tela, involvens vasa iliaca externa, ea comitatur, cumque iis, retro sic dictum fallopii ligamentum, ad summa transit semora, & ibi cum inferioribus musculos semoris ambeuntibus cellulosis continuatur, unde secundo loco harum cellulosa-

Boerh. Vol. V. P. I. p. 289. & dubitantem Cl. LIEUTAUD in Est. Anat. p. 333.

rum commercium mutuum elucescit. Sic quoque, cum vasis pelvi exeuntibus, ad natium sedem, cellulosa fabrica haec exit, & cum obturatricibus. Ubi porro peritonaeum anteriorem modicam partem vesicae urinariae obtegere incipit, fupra eius fundum mox reflectendum, ibi non adeo accurate textum suum cellulosum ubique secum deducit, quin inde multa cellulofitas ad veficae omnem anteriorem faciem, eius collum, prostatas, corpora cavernosa penis, urethram &c. propagetur a). Idem praeterea in mulieribus, quoad vaginam uteri, verum est, etsi vera peritonaei lamina corpus uteri, cum parte tantum vaginae, contegat, ab ima fere & posteriori vesicae parte supra uterum reflexa. Talis cellulofitas in adultis vesicam ad offa pubis religat, in mulieribus vesicam vaginae uteri, in viris intestino recto connectit. Uno verbo, cellulosae huius productionibus ambeuntur omnes hae partes circumquaque. Sed ubique hic fere pinguis est cellulosa, pluribusque facta stratis, circa vesicam tamen magis anterius, quam posterius. Ea cellulositas, ubi inferius & posterius vesicam ambit, involvit quoque vesiculas seminales, easque vesicae connectit; tenuior vero & strictior, cujusque vesiculae multos caecos processus, caeca quasi intestinula, in unam aequabilem magis vesiculam inter se conglutinat, multilocularem, etsi exterius, non soluto nexu, id minus adparet. Haec circa vesiculas hasce facta observatio, primaque huius elegantis fabricae perspicua expositio & demonstratio, omnino primum ad ILL. PRAECEPTOREM pertinet, a nemine ante ipsum ita accurate & adeo eleganter descrip-Etsi enim, cellulosam esse fabricam vesicularum, vulgo perhibeatur, minime tamen vera idea inde de vesicularum structura enascitur. Nam vesiculae cuiusque cavum non forte intus cellulosa aliqua fabrica repletur; sed ipsi velivesiculae sacculo principali, multi coeci, membranacei sacculi, breviores vero, in vesiculam patentes, adnascuntur, hi ipsi vesiculae processus novos saepe, simili modo sibi adnatos, minores sacculos habent, unde, cellulositate omni separata, ramosa & cornuta vesicula adparet. Verum omnia haec cornua, minoraque cornicula, cellulosa ista tenera inter se colligit, & sibi mutuo connectit b). Ubi porro peritonaeum non amplius obvolvit intestinum rectum, ibi tamen producta inde cellulosa supra & infra hocce intestinum continuatur, pinguissima hac sede & laxissima, rectumque intestinum ad anum usque investiens, ibique cum cellulosis proximis, exterioribus, musculos vicinos ambeuntibus, communicat c).

Vid. HENSINGII elegantiff. Differtat. de peritonaco, f. XIV.

b] Vid. ILL. PRAESIDIS programma de vasis seminalibus 66. IX. X. XI. ubi dilucidissime MAGNUS VIR hanc fabricam exhibuit.

6. XXVIII.

Duplicatura illa peritonaei, quae in foeminis uterum anterius & posterius, cum duabus fere tertiis vaginae partibus, tegit & aliquomodo includit, utrinque vero pelvis lateribus connectitur, eam in duas partes dividens, intercipit non minus fabricam cellulosam, cuius ope anterior posteriorque lamina duplicaturae huius cohaerent, & sic dicta lata uteri ligamenta efficiunt. Inter duas hasce ligamenti lati laminas sedent superius Tubae Fallopianae, retroque has ovaria. Illarum structuram spongiosa, cellulosa, pulposula substantia, observante ILL. PRAESIDE, utique ingreditur, intercepta inter earum tunicam externam a ligamento lato, & internam rugosam & aliquid reticulatae fabricae habentem, inde ab utero continuatam. Dubites tamen adhuc, quo referas potissimam eam intermediam substantiam; si est cellulosa, valde est tenera & suc-Sunt Clari Viri, qui putent, esse hic simile quid cor-

corporibus cavernosis penis, cui tamen sententiae hactenus fubscribere nondum potuit ILL. PRAECEPTOR, cum a copiofissimis hic, praeter cellulosam, obviis vasis eundem effe-Etum turgescentiae, quemillia corpore cavernoso repetunt, expectet. a). Ovaria habent firmam, duriusculam, strictam cellulosam, sine omni adipe, ovula illa maiora Graa-Dictae cellulofitates hae omnes fiana continentem. fibi continuae esse videntur, laxiores tantum hic, alibi strictiores, duriores, officio suo ubique adaptatae a sapientisfimo creatore. Utero ipfi omnes, praeter copiosa vasa, nervos, fibras sparsas musculares, adscribunt textum aliquem fpongiosum, elasticum, peculiarem, quem non video, quo referamus, nist ad telam cellulosam, etsi quodammodo peculiarem, firmam, pulpofam, fucculentam, maxime extensilem & elasticam, cuius magnam ILL. PRAECEPTOR dicit similitudinem esse cum ea ovarii, quam cellulosam esse maxima ex parte vidimus. Vagina uteri est continuata introrfum cutis, cum epidermide, degenerans faltem aliquo modo in molliorem & magis succulentam naturam. Quid autem de cute credendum sit, postea videbimus. An non etiam uterus cum his omnibus partibus continua fit substantia, eodem modo in molliorem mutata? In gravido utero, cellulosa tela vasa placentae connectit, & funiculum umbilicalem interius, praeter vafa, replet.

*] v. Comment. Boerh. Vol. V. P. II: p. 108. Compend. Physiol. Hall. n. 806.

S. XXIX.

Vidimus hactenus Cellulosam telam omnem ambitum peritonaei exteriorem ambeuntem, eiusque varias productiones, cumque cellulosis inferioribus & exterioribus communicationes; veniendum ergo nobis nunc est ad

eas cellulosas, quae peritonaeum in se ipsum vel suam caveam intrusum, & reduplicatum, sequuntur. Confideremus primo nobilissimam harum introrsum productionum, qua mesecolon, & mesenterium a peritonaeo essicitur. Peritonaeum nempe, postquam plica semilunari supra intestinum rectum se se conjecit, adscendit inde, & ubi initium est slexus semilunaris coli, seu S romani, adfurgit a subjectis iliacis vasis & a psoa musculo, indeque secundum renem finistrum ad usque lienem ascendit, & duplicata lamina sua supra intestinum colon sinistri lateris se se conjicit, illudque involvit, angustissima in superiori parte ad renem lienemque productione, ut fere nulla ibi ejus latitudo sit, haecque productio vocari po-Inde a sede lienis, cui recessum test mesocolon sinistrum. aliquem & capsularn quasi hic parat peritonaeum, ita trans colon productum, pergit ipsum id peritonaeum retro ventriculum, pancreas, sub sede hepatis, intervallo itaque toto inter renem sinistrum & dextrum, antrorsum produci, elevari, duplicata semper lamina sua, latamque productionem gignere, quae solon transversum intercipit, adeoque hic facit mesocolon transversum, quod abdomen in superiorem & inferiorem bipertit cameram, in cujus quoque intermedio duarum laminarum spatio magna pars intestini duodeni haeret, donec in jejunum transeat. Sub hepate tamen notandum, laminam mesocoli superiorem ibi omnino continuari cum membranis quibusdam lubricis, ab hepate profectis, vafa biliaria comitantibus, quae sunt propagines ipsius externae membranae hepatis. Pergit ulterius peritonaeum a sede dextra, sub hepate, deorsum secundum dextrum renem, ad caecum usque intestinum, introrsum dicto modo prolongari, & colon dextrum fimiliter intercipere. Id mesocolon dextrum est, angustius denulo,

nuo, & angustissimum vel nullum infra renem dextrum, ut Colon ibi immediate fere vicinis partibus & iliaco musculo adhaereat, peritonaeo saltem interceptum. Finitur itaque mesocolon omne, ad divisionem circiter aortae in vasa iliaca, indeque, dato adhuc mesenteriolo caeci, siue processus vermiformis, continuum sit mesenterio. Recensita vero mesocola omnia una continuaque peritonaei, secundum enarratos limites, productio sunt, introrium facta. Notamus adhuc, loca illa mesocoli, ubi nulla fere ejus latitudo est, uti vidimus ad initium coli, & sub liene, sub rene demum sinistro, vocari ligamenta coli. Melenterium vero, mesocoli transversi, sub hujus sede magis dextra, continuatio, propagatur pariter a peritonaeo introrsum continuato, inde ab origine arteriae mesentericae superioris, sub pancreate, elevato semper peritonaeo a sede ea, qua incumbit arteriae aortae & vertebris lumbaribus, deorfum fic pergendo, donec continuetur denuo, ut jam dictum, mesocolo dextro ad initium coli. Haec productio peritonaei antrorfum tendit amplissima, eaque parte, qua intestinis tenuibus accedit, plicata valde, plicis ipsis denuo plicatis, ut longissimum canalem intestinorum tenuium contineat. a)

a) vid. ILL. PRAECETTOREM in Comp. physiol. n. 641. 642. 643. & Comment. Boerh. Vol. I. p. 389. 390. & HENSING, cit. Dissert. S. XIX. sq.

S. XXX.

Peritonaeum mox dicto modo in se rediens, ubique textum cellulosum comitem habet, quem duplex lamina mesocoli & mesenterii ubique intermedium habet. Ea cellulosa manifesta est continuatio ejus, quae exterius peritonaeum ambit; verum hie laxa & revera adiposa sit,

quo nomine cam verhevenvs non male nuncupavit. Copiosissima certe pinguedo in obesis saepe hic haeret, ut aliquando pollicis crassitiem aequasse observata sit. Saepe e contrario, in subjectis maxime cachecticis, hydropicis &c., nulla plane aut paucissima ibidem deprehenditur pinguedo, & in istis gelatina potius. Caeterum mesenterium, prout amplius est, pinguius quoque plerumque esse solet; mesocolon tamen, imprimis dextrum & finistrum, gracilius minusque adiposum est. nempe cellulosi amplitudo ubique sequitur diversam, & nunc majorem, nunc minorem mesenterii & mesocoli latitudinem, quae in mesocoli partibus lateralibus hinc inde nulla est. a) Cum autem crassities mesocoli & mesenterii in homine adeo insignis sit: e contrario in animalibus, ut cane, fele, faepe miratus fum fummam teneritudinem & pelluciditatem earum membranarum, cum striis pinguedinosis gracilibus & vasa tantum sequentibus, uti in omento res se habere solet. Hacc cellulosa intermedia duarum membranarum mesenterii & mesocoli, molliter continet plurimas glandulas conglobatas, vafa lactea, & lymphatica, per eam ad cisternam tendentia, nervos plurimos intestinis dicatos, vasa denique arteriosa, venosa sanguinea, infinita, ab utraque mesenterica arteria & vena portarum potissimum profecta. Elegans est spectare tot illos arcus arteriosos, majores, minores, a ramis diversorum truncorum, inter se coeuntibus ad latus, factos, minores equidem, quo propiores fuerint intestinis, donec tandem arcus ultimi ramos rectilineos fupra & infra intestini ambitum emittunt. Cel-Iulofa adeo tela omnia vafa, nervos, glandulas, hic molliter locat, desendit a pressione nimia ambeuntium partium, a ruptura, duas laminas mesocoli & mesenterii

inter se connectit, ut ex omnibus simul conjunctis eo validius vinculum intestinis paretur. b) Pinguedo calorem auget, hinc humores, venosos imprimis, tardos hic, in majori forte sluxilitate conservat, forte etiam aliquid olei sui per venas ad hepar, uti omentum, transmittit.

a) v. HENNINGERI dissert. de mesenterio §. XI. in Collect. Hall. Tom. I. p. 719.

b) c. l. g. XXVII.

S. XXXL

Ubi mesenterium & mesocolon anterius ad intestina accedunt, ibi secedunt duae eorum laminae, & una anterius, altera posterius intestinum complectitur, tandemque, in curvatura intestinorum majori, denuo inter se coëunt. Sequitur hic utramque laminam tela fua cellulosa, et cum vnaquaque sese circa intestina conjicit, non raro pinguis hic ab Anatomicis inventa. Hanc cellulofam primus demonstravit RVYSCHIVS. Laxior, amplior, & pinguis magis est in ea sede, qua primum sese admovet intestinis mesenterium & mesocolon, qua parte majores vasorum adducit trunculos, in curvatura nempe minori intestinorum, sensim vero versus curvaturam majorem imminuitur, tandemque in sede mesenterio opposita pauca valde, tenuis, nec pinguis, & longe minus fenfibilis est. Haec cellulosa inter extimam intestinorum tunicam & subjectas musculares fibras media est, easdemque, quas alibi notavimus, fibris carneis praestare videtur vtilitates, praeterea primum stratum vasorum intestinalium deducit, locat, tunicas autem fibi vicinas a coalitu impedit. Similis etiam cellulosa est inter extimam tunicam & fibras musculares ventriculi. Eam ILL. PRAEses copiosissimam reperit ad ortum omenti, quod vocat, hepa-

hepatico-gastrici, in curvatura scilicet ventriculi minori, vnde mox dicti omenti pars oritur; porro copiosa est eadem ad ventriculi curvaturam majorem, ubi adhaeret omentum majus, sive gastrocolicum. Tenuior longe & rarior est in vtroque plano ventriculi, anteriori & posteriori, vt ibi fibrae musculares cum externa tunica, observante Eodem summo viro, fere immediate cohaereant a). Ubique vasa ducit. Ad curvaturam imprimis minorem, plures in hac cellulosa sedent glandulae conglobatae lymphaticae. Est haec cellulosa ventriculi exterior itidem propago exterioris peritonaei, uti membrana externa ventriculi a peritonaeo supra eum continuatur; quod manitesto adparet fieri, ad transitum oesophagi per diaphragma ad ventriculum. Haec erat cellulosa prima ventriculi, & intestinorum.

a) vid. Compend. physiol. n. 622.

XXXII.

Duodenum, etsi tunica externa a mesenterio, exigua tantum sui parte, ubi jam in jejunum transibit, tegatur, haeret tamen in copiosa cellulositate, interceptum maximam partem, & mox a pyloro, inter duas mesocoli laminas, quas inter cellulosam esse vidimus.

S. XXXIII.

Sequitur, inter fibras musculares, & tunicam nerveam intestinorum & ventriculi, alia tela cellulosa, cum priori fine dubio communicans & continua, detegenda facillime impulso flatu. Ambit autem totam intestini circumferentiam aequabiliter, in eo ergo a prima RVYSCHIL diversa. Saepius ita praeparatam, pulcherrimo spectaculo, cam nobis ILL. PRAESES exhibuit. Haec non pinguis

est, nisi forte rarissime, & in valde obesis, aliquid pingue, dinis ibi haereat, de quo nullam novi observationem. Crassitiem vnius & dimidiae circiter lineae slatu expansa aequat. Videtur omnino per intervalla fibrarum muscularium, quum hae non continuum aliquod & densum stratum faciant, sed sparsae sint, cum prima cellulosa cohaerere. Istud commercium efficere etiam possunt vasa, quae ex cellulosa prima, per intervalla fibrarum, ad hanc interiorem tendunt, etsi breve valde iter est. In ventriculo haec cellulofa multo magis adhuc confpicua, molliorque est, amplas ibi & laxas bullas inflanti exhibens, ut spuma laxa quasi in toto ventriculi ambitu oriatur a). Disponitur in hac cellulosa, tam ventriculi, quam intestinorum, rete elegans arteriarum & venarum, spatia quodammodo quadrangularia intercipientium. Ea vasa propagines funt vasorum majorum, quae per cellulosam primam ambulant, ex mesenterio & mesocolo advenientia ad intestina. Praecipue ergo ordinandis, deducendis hisce vasculis haec etiam cellulosa inservit, quanquam, substrata fibris muscularibus, sine dubio multum confert ad liberam earum actionem, molli halitu & forte etiam fubtili oleo eas lubricando, & a concretione cum sequente nervea tunica prohibendo. Nonne enim idem hic fit, quod alibi in C. H. fieri solet, ut musculares fibrae vndiquaque sua involvantur cellulosa; nam hae fibrae nune perfecte, vt alii musculi, haerent inter duo strata cellulosa. Arcte caeterum circumquaque adhaeret nerveae, cujus non nisi extimum & laxius stratum esse videtur. Nerveam enim ipsam ad cellulosum textum pertinere, inferius pa-Videtur quoque cellulosa nostra nerveam contrahere in eas plicas, quibus vna cum villosa intra cavum intestini valvulas facit. Hanc demum cellulosam secun-

dam

dam ventriculi & intestinorum jam subolfecit HELVE-TIVS. b). Verus tamen Inventor merito celebratur ALBI-NVS junior c), frater Magni BERNH. SIEGFRIDI ALBINL RUYSCHIVS etiam, senex jam, adhuc eam descripsit.

a) vid. ILL. PRAESIDIS comp. physiolog. B. 624.

b) Acad. Reg. Sc. 1721. p. 394. 398.

c) confer. EIVs specimen de Intest. tenuibus.

d) in Cur. poster. CLV. & Cur. renov. XXII. XLI.

§. XXXIV.

Praeter enarratas duas cellulosas ventriculi & intestinorum, superest adhuc tertia, minus quam priores nota. Haeret haec inter tunicam nerveam & intimam villosam. Itidem facile demonstratur, si, vulnusculo levi villosae inflicto, inter hanc & nerveam flatum immittas, cavendo tamen, ne nervea simul illo vulnusculo laedatur. manifestam sese exhibet cellulosa tertia, similis fere secundae, minor tamen, & subtilior hac & prima, etsi quoque integrius ambit intestinum, quam prima. Locat iterum rete vasculorum subtiliorum, unde postea villi exhalantes & inhalantes in intestini cavum porriguntur. Haec, uti nervea, ingreditur eminentias, f. valvulas, quas intra cavum intestini format eminentiis suis villosa. Primus eam invenisse videtur WALTHERVS, Professor Lipsiensis, qui, in Dissertat. de angustia intestinorum a), claris cam describit verbis. Sed cur eam maximam, inter tres cellulofas intestinorum, esse velit b), non adeo patet. Minorem secunda eam invenit ILL. PRAESES. Forte nerveam simul inflavit WALTHERVS. Nullam continet pinguedinem. Eadem caeterum ejus fabrica est, & in intestinis, et in ventriculo.Id notandum adhuc de his cellulosis recensitis, reliquas, si unam infles, comprimi, neque omnes simul demonstrari F. 2

monstrari posse. Per omnes autem has cellulosas, praeter jam recensita vasa, quae locant, etiam lactea vasa ad villosam, in omni intestinorum circumferentia, tendunt.

(a) habita Lips. 1731. (b) §. II. §. V. cit. diss.

C. XXXV.

Per experimenta Celeberrimi LIEBERKVHNII a) constat, ipsos villos in intestina prominentes, praeter ampullam vasis lactei, arteriam, venam, nervum, impleri quadam spongiosa & cellulosa substantia, vascula subtilissima ordinante, nectente. Demonstravit cam in villis instatu sensim exsiccatis & expansis. Erit illud, quidcunque sit, cellulosum, a cellulosa tertia proxima cum vasis adlatum intra villos.

a] vid. elegantiss. Dissertat. Ejus, de fabr. & act. villorum intest. ten. Berol. 1745. §. II. III. IV. V-VIII.

6. XXXVI.

Notamus, dum circa intestina adhuc versamur, valvulam illam coli, celebrem inter Anatomicos, unice pendere a cellulosa fabrica, ilei in colon intrusas tunicas nerveam & villosam, contra musculosam, nerveam, villosamque tunicam coli, religante & firmante; soluto vero curiose omni hoc celluloso nexu, exire ileon e colo, & simpliciter ad rectum angulum ipsi continuum esse, nullo vestigio prominentiae intra colon, aut valvulae, sed circulari solum ilei in colon apertura, remanente a)

a) vid. hic ILL. PRAECEPTOREM in programm. de valvula coli 1742. Gotting, ubi de rei hujus veritate nil amplius nos dubitare finit,

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C.H. 37

6. XXXVII.

Cellulosas similes, quales mox in intestinis & ventriculo descripsimus, reperimus etiam in reliquis abdominis cavis receptaculis, indeque exeuntibus forte ducti-Fabricam vesiculae felleae, quatenus a cellulosa pendet, mox ubi de hepate loquendum erit, videbimus. În vesica urinaria cellulosam primam, quae mox sub peritonaeo sequitur, iam vidimus totam vesicam ambire, etiam ubi nullum eam tegit peritonaeum. Sed inter fibras musculares vesicae, & tunicam nerveam, itidem elegantissima haeret tela cellulosa, slatu conspicienda, ut memini me in demonstrationibus incomparabilibus MAG-NI PRAECEPTORIS aliquoties vidisse. Tenerior caeterum est ea intestinorum, & aliquando difficilius de-Inter nerveam & villosam vesicae, seu monstranda. mucosam & reticulatam potius, cum arctissime cohaereant, nulla cellulosa hactenus inventa fuit. Erit forte aliqua, quae has tunicas, si hic revera distinctae sunt, inter le coniungat, sed brevissima, strictissima, neque adeo inflabilis. Nam ubique in corpore humano duae a se invicem distinctae membranae filis cellulosis inter se coniunguntur, vix alicubi meris vasculis, quia & haec nunquam absque sua ambulant cellulosa. Eadem quoad vreterum cellulosas vera esse videntur: hic tamen, uti in inrestinis, tres cellulosas numerat ILL. PRAESES. Prima ambit ureterem sub peritonaeo tegente, estque ipsa cellulosa exterior peritonaei, reliquae inter vix conspicuas sibras musculares & nerveam, inter nerveam demum & intimam laevem vreterum tunicam, haerent. Fatendum tamen, de hisce cellulosis, non aden certe hactenus, uti de prioribus, constare ILL. PRAECEPTORI. a) Omnes, ut alibi, vasa recipiunt, comitantur, eorum reticula sustinent,

38 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

tinent, subtiliora, quo interior cellulosa fuerit. Prima & secunda, hic ut alibi, omnino sibi continuae esse videntur. conf. §. XXXIII.

a] Vid. compend. physiolog. n. 756.

6. XXXVIII.

Verum idem peritonaeum, aliis sui productionibus introrfum factis, reliqua etiam viscera chylopoea involvit, hepar, lienem, pancreas. Brevitas necessaria haud permittit omnia haec fusius describere & accuratius. fequentia. Hepar parte sua convexa diaphragmatis fornici annectitur, ope trium sic dictorum ligamentorum, quorum medium longissimum suspensorium vocant, ortum ad foramen tendineum septi, per quod vena cava transit, antrorsum latescens, & falcato fine terminatum; Dextrum posterius valde est, suumque lobum, crassissimum ibi, diaphragmati connectit; sinistrum eidem septo, & simul, si magna sit hepatis moles, oesophago, & lieni sinisterrimam hepatis partem conjungit. Nihil aliud funt haec ligamenta, nisi duplicatum peritonaeum a diaphragmate diversis locis recedens, & hepati coniunctum, ubi duae laminae iterum a se discedunt, & sensim supra omne hepar sese expandunt, & eius membranam externam con-Inter haec ligamenta, eodem modo videtur peritonaeum sese a diaphragmate supra hepar revolvere; ut adeo retro hanc peritonaei revolutionem hepar diaphragmati, eius imprimis alae tendineae dextrae, immediate sine peritonaco intermedio connexum & accretum videatur, donec peritonaeum, hepate investito, ad diaphragma redeat. a) Verum, a rene quoque dextro, peritonaeum aliqua plica sui hepati adfigitur.b) Quicquid sit,nihil hic volumus, quam quod & has peritonaei productiones ubique sequatur subtilis cellulosae textus, ab exteriori peritonaei continuatus. Ipsa enim ligamenta, intra duplicaturam suam, manisestam cellulosam cum vasis habent, quae cellulosa laminas ligamentorum se expandentes supra hepar sequitur, easque huius parenchymati aequabiliter annectit. Flatus immissus inter membranam externam, & carnem hepatis, vel etiam putredine generatus, in ea bullas excitat, in quibus tela cellulosa maniseste adparet. Vascula copiosa eam pervagantur, unde LOQUETUS c) cam vasculosam, alteramque laminam membranae communis hepatis, esse voluit. Ea vascula depingi in operibus suis curavit Ruyschius.

a] Vid. WINSLOO Tom. III. n. 263.
b] ILL. PRAESES physiolog. n. 669.

e] in dissert, de Art, hepat.

5. XXXIX.

Ubi in facie hepatis concava, ad sedem vesiculae felleae pervenit membrana communis hepatis, ibi eam superscandit & obtegit, in altero limite ad hepar rediens. Non adeo, nisi dimidia sui & inferiori colon respiciente parte, membranam externam habet veficula, altera dimidia parte carni hepatis innexa, fine communi extima membrana. Diximus §. XXXVII., eam, cum intestinis, ventriculo, vesica, simili fere tunicarum adparatu gaudere, similia hasce tunicas intercedere strata cellulosa, uti in allegatis vifceribus fieri vidimus. Adeoque, fub membrana communi ab hepate, statim sequitur cellulosa fabrica extima, sed totam vesiculam ambiens, eamque & membranae communi & hepatis carni nectens, continua caeterum ei, quae sub membrana externa totum hepar ambit, & ab exteriori peritonaei derivatur. Laxior est, & pinpinguedinem continuisse observata a norrichio, a) HARTMANNO, h) MORGAGNO, c) RUYSCHIO d). In hac vafa fanguinea majufcula cystidis ambulant, trunculis quidem margines vesiculae observantibus, ramulos vero ubique supra eam spargentibus. Sequuntur sub prima hac cellulosa lacerti musculares illi, splendidi, rari; inter hos vero, & nerveam tunicam vesiculae, secunda fubest cellulosa, vasculorum iterum rete & glandulas sustinens muciparas, hinc pro glandulosa aliis, aliis pro vasculosa habita Anatomicis. Sed est cellulosa vera, flatu demonstrabilis, vasculis & glandulis tantum ornata. De cellulosa autem tertia, inter nerveam, & intimam, reticulatam magis, quam villosam, tunicam, nondum constat. Valebunt & hic, quae diximus §. XXXVII. de cellulosa tertia vesicae urinariae. Ductuum bilariorum fabrica, quantum patet, cum ea vesiculae convenit, habebunt adeo fimiliter cellulosam telam intra tunicas suas e). Inflexio illa ferpentina cervicis vesiculae felleae, valvulae illae aliquomodo spirales propagati inde ductus cystici, a sola dependent cellulofa firma, initium cervicis, progressumque & diversas ductus cystici partes contra se invicem religante, & contrahente.

a] in Act. Hafn. ann. II. obl. 53.

Ephem. N. C. Dec. II. ann. Vll. obs. 23.

c] Epist. anat. n. 62.

d in Thef. max. n. 173.

e] ILL. PRAESES cit. l. n. 685.

LX.

Nobilissima, tum propter lites, quas movit, tum ob officium suum, occurrit hic capsula GLISSONII, cum vasis magnis hepar intrans. Eam plurimi, iique celeberrimi

Viri, a GLISSONIO ad WALTHERVM usque, pro mufculoso vasorum hepaticorum involucro habuere, & magnos sane ab ipsa expectarunt usus, promovendi maxime sanguinem tardissimum per arteriosas hepatis angustias, ne extra cordis vim fere positus plane hic stagnaret, & pessima produceret mala. Verum ILL. WALTHER a) imprimis, & ab eo, quotquot fuere, celebres Anatomici, demonstrarunt, hanc capsulam ne unica quidem gaudere musculari fibra, esse autem verissimam, tantum duriorem, cellulosam, membranosamque fabricam. Nempe vena portarum, arteria hepatica, nervi, non fine textu celluloso ad hepar adveniunt, qui tandem, collectis in unum fasciculum hisce vasis, duriusculus & firmus hanc capsulam efficit, continuam quoque hepaticogastrico omento, & ligamento hepaticoduodenali b) Intertextiipii, & mire hic intricati nervi hepatici, circa vasa ludentes, maiorem capsulae duritiem & firmitatem conciliant. His accedunt in eadem capsula vascula lymphatica, cum variis aliis venulis hicrepentia, non tamen ad capfulam proprie pertinentia, aut eam introrsum comitatura. Sic nata cellulosa & semimembranacea capfula, colligit ramos venae portarum, arteriae hepaticae, ductus bilarios, nervos; ita ut semper ramus venae portarum, arteriae hepaticae, ductus hepatici, & forte nervus in vnum fascem adunentur, quibuscum haec vagina omnem hepatis molem perambulat, omnes divifiones horum vasorum ad minima usque sequens, donec iterum cum ea cellulofa, quae ramos venae cavae co-Nullum ergo dubium est, quin mitatur, communicet. cellulosa fabrica cum tot myriadibus vasculorum hepaticorum, quibus ramificationes venae cavae fua cum cellulositate accedunt, omnem huius visceris molem efficiat. Saltem, quid praeterea aliud adesse concipi queat, omni-

no latet. Infignem caeterum usum haec capsula vasis hepaticis praestat, dum ea ubique firmiter sustinet, & quasi suspendit. Si dissecamus hepar, videmus, lumina vasorum & ad portas pertinentium & ad cavam, hic non, ut alibi, collabi, verum egregie sese sustinere, revincta nempe tota circumferentia ad vicinum parenchyma. WINSLOUS hanc luminis aperti conservationem venae cavae ramis solis videtur tribuere. STAHLIUS idem de omnibus hepatis vasis adfirmat. c) ILL. PRAESES autem imprimis in venae portarum ramis eam observavit proprieta-Quicquid sit, certissimum est, mire hac ratione adiuvari pigerrimi fanguinis per hepar circulum, dum nune in expandenda & dilatanda collapía vaía, nihil fe-- re virium moventium, hic exiguarum, perditur. Quod sane magni hic momenti esse potest, cum immeabilis valde & obstruendis vasis aptissimus sanguis sit, quem ad hepar exabdomine advehit vena portarum, vires autem cordis a tergo urgentes hic fere desint. Magnum ergo in hepate est cellulosae fabricae officium.

a] de vena port, progr. I.

b] WALTHER cit. l. it. HENSING. cit. Superius loco.

s] diff. de V. P.

6. LXI.

Haud multum absimili modo Lienis substantiam ingreditur cellulosa fabrica, cum vasis lienalibus, cum membrana a peritonaco extima, sorte ab omento etiam gastrocolico sinui longitudinali faciei cavae lienis inserto, adveniens, per hoc viscusdispersa. Sed utique omnium tenerrima hic est cellulosa, pauca sorte, ratione habita copiosissimorum vasorum, quibus refertus est lien. Nec sallere debent hoc loco praeparationes highmori, quae totum lienem cellulosum exhibent, cum in eo praeparandi modo diu-

diuturna maceratione, elotione, quaffatione, laceratis ruptisque vasis, necessario tandem flatu impulso, & exsiccatione, cellulofus habitus, non tamen naturalis, prodierit. Illa autem, quae adest, mollissima lienis cellulosa, videtur, ut alibi, connectere, ordinare, stabilire pulposa vascula, mira sua mollitie illis expansis cedere, dum sanguine nempe turgent. Turgent autem saepe supra modum, tempore vacui ventriculi, lienem contra vicinas costas spurias non vrgentis, quo tempore tardissimus esse debet sanguinis per lienem circulus, ob maximam rationem, quae est inter lumen arteriae splenicae non divisae, & lumen omnium ramulorum eius lienalium simul sumtorum, pulposissimorum insuper, & maxime expansilium. a) In cellulofam autem hic fanguinem non effundi, certissimi hodie sumus, per experimenta Magnorum Virorum iniectoria; neque in vitulis fimile quid fieri, contra optimum RUYSCHIUM invenisse sibi videtur MAGNVS ALBINUS. Neque enim unquam liquor tenuis, oleosus, in cellulofam lienalem effunditur.

a] Vid. Cl. LIEUTAUD essays anat. p. 311. 312. sqq. & ILL. PRAE-CEPTOREM cit. l. n. 666. sqq.

S. XLIL

Pancreas supra mesocolon transversum, sub peritonaeo, sub ventriculo, situm, cellulosa peritonaei exteriori cingitur, acinique eius duriuscula, & breviori cellulosa, in glandulam totam conglomeratam colliguntur. Membrana exterior adeoque est peritonaeum, supra pancreas in mesocoli transversi laminam superiorem educendum. De glandularum tamen cellulosa, inferius pluribus adhuc agendum erit.

S. XLIII.

Omenta tandem tria, nobiles peritonaei, mediante tunica externa ventriculi, coli transversi, & dextri, mesocoli quoque, hepatis, lienis, propagines, a) etsi parte sua membranosa & ubi nullus adeps est, tenerrima & pellucida videantur; tamen, duplici revera quum constent lamina, in tota sua circumferentia tenerrimam cellulosam ubique intercipiunt, productam fimiliter a cellulosa enarratarum partium, uti duas inde vidimus produci veras extimas omentorum laminas. Ea cellulofa, fecundum vasorum itinera & reticula, glebulas striasve adipis locat. Caeteris locis ubi nullam, aut pauciorem habet pinguedinem, adeo subtilis, adeo tenera est, & tam accurate vtramque omentorum connectit laminam, ut summae teneritudini & pelluciditati id nihil quicquam detrahat; vtramque enim laminam, ubi adeps abelt, pro una, tenerrima certe habueris. His locis fine dubio, loco olei, subtilissimo tantum halitu, etsi forte etiam oleoso, irrigatur tenerrima cellulofitas. Observat winslovs, omnia haec in omento minori subtiliora, quam in reliquis, esse b); nuper tamen ILL. PRAESES huius quoque omenti hepaticogastrici duas tenerrimas laminas slatu separavit, & in veficam tumidam vidit secedere. Usus huius cellulositatis. ut ex dictis patet, est coniunctio tenerrimarum omentalium laminarum, vasa comitari, stabilire, pinguedinique hic in hepatis maxime vsum secernendae locum concedere: Omentula minora, colo adhaerentia, seu adpendiculae adiposae, similes productiones sunt membranae extimae huius intestini, cum intermedia cellulosa & adi-Caeterum, pro diversa corporum conditione, pinguedo in his omentorum cellulis nunc plane omnis abest, uti in tabidis, nunc altero excessu in obesioribus copiosisfima

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C. H. 45

sima saepe adest, ut quinque librarum pondere eam observarit VESALIVS. Secretio fe habet, ut alibi, nec adfunt, quos hic imprimis esse credidit olim MALPIGHIUS, peculiares aliqui adiposi ductus. Ut autem utraque omentorum lamina continuatur a tunica externa dictorum viscerum: ita cellulositas intermedia continua est cellulosae primae, v. gr. ventriculi, coli, tuni cae eorum externae immediate subjectae. Id peculiare est, omnia in summam hic degenerare subtilitatem. Distributionem autem, & reticula vasorum omentalium, pulcre depinxit RUYSCHIUS. 6)

a) vid. ILL. PRAESIDIS indefesso labore confectas figuras trium omentorum, in Fascic. anat. I. Limites enim accuratius describere, ob brevitatem nostram, non licet. Vid. FIVSDEM MAGNI VIRI comp. physiolog. Cap. XXV. de Omento, ubi perspicue omnem ortum & limites eleganti

brevitate invenies descripta.

b) Tr. du bas ventre n. 357c) Thef. II. Tab. V.

6. XLIV.

Hactenus ergo omnem ambitum cellulosae peritonaei, omnesque ejus propagines abdominales, omnes ejus cum inferioribus & exterioribus cellulosis telis communicationes vidimus, nihilque de ea superest, quam ut ostendamus adhuc, quomodo, & quibus locis eadem cum cellulosis superioribus commercium alat, quo facto ipsa natura ad confiderandam cellulosam pleurae, & thoracis, omniumque superiorum partium ducemur. Id tamen antequam agamus, licebit nobis paucis adhuc annectere Cel-Julosis abdominis fabricam corporum cavernosorum penis, & clitoridis, tanquam partium abdomini connexarum. Corpora cavernosa virilia, utrinque a conjunctione ossium ischii & pubis orta, inde convergentia, ante bul-

bum vrethrae sibi invicem admota, & urethra cum ejus corpore cavernoso intercepta, antrorsum versus glandem tendentia, ibique obtuso fine terminata, nulla alia constant fabrica, quam cellulosa peculiari, copiosa, etsi laminis potius mollibus, quam fibrillis, constante. Eam cellulosam exterius ambit & includit firmissimum, coriaceum, durum involucrum, saccum utrinque constituens. Duo sic facti facci, cellulofa pleni, diffepiuntur fepto ex fibris paralelis, tendineis, posterius continuis, dense stipatis, inferius magis disparatis & intervalla relinquentibus, facto. Superius adeo, aut potius posterius, corpora cavernosa non communicant, at anterius versus glandem id faciunt, ut hic flatus ex uno in alterum transeat, per laxius septum. Ipsa interior cellulosa & laminosa horum corporum tela variis trajicitur validis fibris, ex vno facci latere in alterum tendentibus, quae fine dubio nimiam faccorum distentionem & rupturam aliguomodo impediunt. Hanc cellulosam fabricam haud male spongiosam adpellarunt Anatomici priores; sed nervei nihil peculiare adest, nisi sensu veterum ita vocare placeat. Est enim verissima cellulosa, fortiores folum laminulas habens. Uti autem cellulofae aliae pinguedinem, aut vaporem exhalantem, continent; ita in hanc ipse sanguis ruber ex arteriis effunditur. Hinc temporis mora cellulae istae rubro tinguntur colore, non facile eluendo: cum in puerulis albidae adhuc reperiantur. a) Similis fabricae est corpus cavernosum urethrae, quod revolutum facit glandem virilem. Eadem porro fabrica est crurum clitoridis muliebris, in anteriori vaginae parte, suburethra, haerentis. Hae cellulosae vtrinque, tempore veneris, copiosissimum recipiunt sanguinem, ad necessariam tunc genitalium partium turgescentiam producendam; dummodo causae sanguinis reditum per venas impedien-

tes,

tes, nunc equidem altius non inquirendae, sed procul dubio in nerveis laqueis imprimis sitae, adsint. Quo sacto, arteriis essundentibus, venis nihil reducentibus, brevi repletae hae cellulosae turgent, dilatabiles valde. Hae ergo sunt cellulosae sanguineae.

a] vid. ILL. PRAESIDEM in Comment. Boerh. Tom. V. P. I. p. 402.

6. XLV.

Redeo ad ordinem, & uti superius §. XXVI. & XXVII. commercium cellulosae peritonaei, totiusque abdominis, cum inferioribus, vidimus: ita hic indicandum adhuc restat, quibus locis, & quomodo eadem cellulosa cum ca pleurae continuetur. Id quin omnino fiat, nullus est dubitandi locus. Vasa corporis nostri repunt omnia in cellulosa sabrica. Aortae itaque pars, quae in abdomine est, retro peritonacum hujus cellulosam fabricam exteriorem sibi circumjectam habet, pars autem aortae, quae in thorace haeret, pleurae cellulosa ambitur. eam comitatur ad usque eum locum, & ibi adhuc, ubi inter crura diaphragmatis transit. Adeoque hae cellu-Iosae quin ibi fibimet contiguae sint, & continuae, nullum est dubium. Idem fit ad transitum venae cavae per foramen tendineum in dextra diaphragmatis ala, itemque ad transitum oesophagi per carnes diaphragmatis se fe decussantes, finistras. Sed superest alius adhuc communicationis locus a). Nempe, postquam diaphragmatis carnes ab omnibus undecim costis successive ortae, apici duodecimae adhuc adhaerent, sequitur tunc ibi spatium inter costam duodecimam, & processum transversum primae vertebrae lumborum, ubi caro diaphragmatis nulla est, sed nudum peritonaeum nudam contingit

git pleuram, cellulosa tela intermedia ad vtramque membranam pertinente. Hocque loco cautus sit Anatomicus necesse est, nisi separando ibi pinguedinem renalem soramen septo insigere velit. His adeo locis peritonaci cellulositas cum ea pleurae communicat. Hinc ad Thoracem nunc pergimus.

a) vid. ILL. PRAESIDIS fig. diaphragmatis, Fasc. I. T. I. & Comp. physiol. n. 287.

TELA CELLULOSA THORACIS INTERIORIS, ET VASORUM.

XLVI.

Thoracis vtrumque latus, in tota circumferentia, investitur membrana simplici, densa, intus laevi, humidoque rore lubrica. Ea pleura dicta, non uti peritonaeum vnicum saccum, sed duos, vtroque in latere vnum, efficit, ut revera non vna membrana sit pleura, sed duae dentur a se invicem distinctissimae. Quivis saccus suum replet latus, dexter tamen magis versus sinistrum se extendit, & sterno vltra ejus medietatem adhaeret, cum sinister secundum cartilagines costarum sinistrarum descendat. Superius vterque obtuso fine ad primam costam desinit, ibique sacci sibi propiores sunt, cum, oblique positi, inferius divergant. Quivis faccus suum pulmonem includit, ab altero distinctissimus, nullibi communicans. Hi facci vere membranacei, extus, aeque ac peritonaeum, toti ambeuntur multa cellulosa fabrica, qua quasi exasperantur, hic quidem tenui, alibi crassiori, vaporosa hic, alibi vere adiposa. Ea vtrumque pleurae faccum omnibus vicinis partibus connectit, & faccos ipsos inter se se jungit. Saccorum conjunctionem mediastinum adpellant Anatomici, quod adeo fit, dum ambo facci, tanquam duae vesicae modice inflatae,

fibi

sibi contigui fiunt. Tenerior & brevior est cellulosa, quae inter pleuram & costas, musculosque intercostales, itemque quae inter eamdem & diaphragmatis convexam faciem est. Et plerumque paucae tantum & tenues pinguedinis striae his locis reperiuntur, necessariae ad obliniendos musculos: a copiosa enim hic pinguedine magna impedimenta orirentur respirationis, cum spatium minimum si nimia occuparet pinguedo, necessario premeretur pulmo, pleurae volique contiguus. Copiosior tamen nonnunquam observatur in hominibus valde obesis, & saginatis animalibus a), non sine aliqua forte noxa in motu animali, & facili anhelationis vitio.

a) v. Cl. KAAV de perspirabilit. n. 143.

6. XLVII.

Ubi facci pleurae fibi invicem admoventur, mediastinum facturi, ibi tela cellulosa continuata mediam sese iis interponit, angustior ubi vere sibi contigui fiunt sacci i. e. in medio circiter; laxior & adiposa valde, ubi anterius ad sternum, & posterius ad vertebras dorsi, sacci divergunt. anterius & inferius maxime, ubi cor cum pericardio & magnis vasis, locatur, itemque ubi thymus superius situs est. Hic copiosissima pinguedo aliquando atrocissimorum malorum causa fuit, qualem casum memoriae prodidit Magnus BOERHAAVIVS in altera morbi atrocis historia. Est nempe, in toto hoc spatio antico mediastini, series infignis cellularum talium adipofarum, flatum in minus pinguibus subjectis recipientium, qui late satis ante pericardium in iis pergit. a) Thymus superiorem magis mediastini antici partem occupans, ope harum cellularum pericardio, supra quod parte sui ima repit, leviter connec-Sed eum quoque totum haec cellulosa ambit;

G

tenerior deinde dextrum thymum cum finistro conjungit, & acinos cujusque in vnum lobum colligit. Locat hic posita cellulosa, praeter partes jam enarratas, glandulas quoque conglobatas aliquas, cum variis vafis tum majoribus, tum minoribus, ad pericardium, ipsum mediastinum, thymum, pulmonem &c. pertinentibus. Aquâ autem hic collectà, nec resorbtà, hydrops mediastini oritur. Simili modo se habet ea cellulosa, quae replet spatium illud triangulare posterius, ab adsurgentibus a vertebris dorsi pleurae saccis interceptum, quod mediastinum posticum multi adpellant. Continet ea cellulosa oesophagum, asperam arteriam, ductum thoracicum, aortae partem thoracicam, venam azygon, & plurima minora vafa, nervosque principes. Omnia haec ab ea cellulofa stabiliuntur, & vicinis partibus annectuntur. Saccorum pleurae supremi obtusi fines, similiter hacce cellulosa sibi conjunguntur. Denique, qua sede pleura anterius & posterius pericardio late adaptatur, tenera & minime obefa cellulosa ab eo separatur. Etsi adeo pleurae sacci duo sint distincti plane: cellulosa tamen fabrica continua, nec interrupta, totum thoracem extra pleuras ambit, comitata nihilominus productione sua vtrumque saccum, ad mediastinum formandum mediam ubique se iis interserens. Facile quoque ostenditur commercium ejus cum cellulosis thoracis exterioribus, & cum ea, quae inter musculos intercostales haeret. Musculi enim intercoltales interni proxime sternum incipientes, ubi perveniunt ad angulum costarum, definunt, nec ad vertebras vsque perveniunt; ille vero locus folos exernos intercoltales proxime vertebras ortos habet. Ibi ergo cellulosa pleurae cum ea communicat, quae inter intercostales internos, externosque est media, Ea anterius ad sternum, ubi jam ad incipientem

par-

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C. H. 51

partem cartilagineam costarum vicissim desinunt intercostales externi, sternum minime attingentes, communicat cum cellulosa thoracis musculos externos cingente. Adeoque & pleurae cellulosa cum omnibus externis commercium alit. Idem commercium per intervalla fibrarum ipsarum horum musculorum obtinere potest, essi subtilissima sint. In cellulosa pleurae, arteriae, venae, nervi intercostales proprie sic dicti, arteriae mammariae internae anterius, vasa varia diaphragmatica inferius, ubi pleura diaphragma obtegit, praeter jam recensita vasa, repunt, & ad sua loca per eam tendunt.

a) vid. Comment. Boerh. Tom. II. p. 101.

6. XLVIII.

Pericardium, uti maxima sui parte pleura includitur: ita, sub hac, totum illud ambit laxa, tenera tamen, cellulo-sa, cujus ope inferius anteriusque ejus basis cum diaphragmate connectitur. Nexus iste laxior adhuc est in infantibus, ut in his pericardium facile separetur a subjecto septo; verum in adultioribus subjectis valde arctatur, & adstrictior sit ea cellulosa, ut separatio tunc difficillime, neque fere sine septi aut pericardii laesione, sieri queat. Nulla ibi loci pleura est, sed nudum pericardium nudo septo, media sola hac tenera cellulositate, incumbit. Post pleuram ergo, verum pericardii involucrum est cellulositas ista; a pericardio autem continuatur supra magna vasa, uti ipsum quoque pericardium in hisce cellulosae tandem in speciem evanescit. a)

de vaginis vasorum, Collect. Hall. Tom. II. p. 29.

6. XLIX.

Cor intra pericardium haerens, princeps C. H. musculus, ut alii, circumdatur totumquantum tenera cellulosa, flatu elevabili, ut experimenta Cl. KAAV docent a), qui, ut eo melius eam demonstraret, cor nunc calidae nunc frigidae aquae, subita vicissitudine, immisit, quo artificio alibi quoque haud fine fructu se usum esse dicit. Interjacet nempe haec tela fibris cordis, & tenerrimae membranae illud extus obducenti; quae membrana vtrum vera sit, an tantum extimum cellulosum stratum, dubitare possis. Adipem recipit ea cellulosa secundum vasorum coronariorum iter, imprimis vero circa dextrum ventriculum, apicemque cordis. Caeterum, ut lupra de omnibus in genere musculis dictum est, ita etiam hic fibrae musculares filis cellulosis in ordinem illum inenarrabilem connectuntur, iisque obvolvuntur. haec itidem cum magnis e corde oriundis vafis continuatur ad vsque exitum e pericardio, ubi cum iis, quae exterius haec vasa ambeunt, cellulosis telis continua fit.

a) de perspirabilit. n. 155. 5.

§. L.

Cum hic ex corde oriantur principes trunci omnium corporis vasorum: non male forte actum suerit, si hic imprimis consideremus, quid cellulosa tela ad construenda vasa nostra conferat. Id in maximis truncis optime apparet, inde vero ad minora omnia tuto concludi potest. Sane maximam partem substantiae vasorum tabrica cellulosa sola efficit, etsi paradoxon cuiquam id videri possit. Externa tunica arteriarum impersecta, ipsis ubique accedit ab ea membrana, quae cavum corporis, quod sorte percurrunt, investit, quae ergo vasa tegit tantummodo, non undi-

undiquaque ambit. Ergo hoc modo in thorace pericardium partim, partim pleura exterius tegit vafa. Si vero viscus, carnes, aut alias partes intrat arteria, cessat tale externum tegmen. Verum primum eorum & vniversale involucrum omnino tela cellulosa efficit, quae hic in thorace a cellulosis jam dictis ipsis accedit, alibi a vicinis quibusque cellulosis. Haec exterior cellulosa vasorum, majorum imprimis, vasculis minoribus eleganter pingitur, neque non nervulos suos habet, non minimos saepe. La vascula injectio in trunco aortae, arteriae pulmonalis, vbi vicina cordi sunt haec magna vasa, eleganter demonstrat. Eadem exterior arteriae cellulosa extima in superficie laxior est, non raro quoque pinguis, uti iterum fit in maximis vasis, cordi propinquis. Cellulosa ista variis locis adeo copiosa, adeo laxa est, ut, an ad eam arteriam proprie pertineant extima ejus strata, an vero sint de cellulosis vasis alias solitoque more circumjectis, vasi interim non propriis, dubites. Ita plerumque sese res habet ad ortum majorum truncorum ex aorta, v. gr. ad inguina, in collo &c. Hinc vaginas adpellarunt eas laxas cellulosas Anatomici a). Sed versus interiorem arteriae partem, continuo densior, stipatiorque sit cellulositas ista vel semel arterias praeparandas nactus est, sciet, nunquam se satis ab hac cellulosa eas repurgare potuisse, cum semper volfella nova fila cellulosa eleventur, sed majori sensim labore, vt tandem ob arctiorem textum cessandum sit, cum idem labor succederet ad fibras vsque musculares arteriae, aut arteriae etiam destructionem tandem. Adeoque non adest vera aliqua tendinea membrana, cum id, quod pro tendinea habuerunt Anatomici, sit tantum cellulosa Ripatior, dentior, subtilior, quo propior fuerit fibris muscularibus, & cavitati vasis. Ea levi maceratione in laxam G 3 valde,

valde, exteriori cellulosae similem substantiam, abit, nec ullas vnquam paralelas, splendidas, longasque exhibet fibras. Ipfa autem arteriae diastole, cum tempore, huic cellulosae duriorem, compactioremque conciliare potest habitum, cum non possit expandi arteria, quin ipsa hac vasis distentione arctius compingatur & comprimatur haec cellulosa parietum arteriae. b) Maceratio autem de his omnibus nullum nobis relinquit dubium. Succedit deinde cellulofae huic stratum fibrarum muscularium transversalium, crassum valde in aorta cordi proxima, valensque, ut in arbitrio Anatomici hic positum sit, quot harum fibrarum successiva strata separare velit. Alibi vero, in minoribus imprimis arteriis, longe tenuiores funt hae fibrae, magisque disparatae, difficilius inquirendae. Sed de iis hic pluribus agere non licet. Id de iis brevissime adhuc noto, non esse integros continuos circulos hasce fibras, sed polygona quasi, ex multis parvis fibrillis se se comprehendentibus composita. Inter fibras has, & intimam laevem arteriae membranam, fecunda fequitur cellulosa, cum exteriori sine dubio, saepius jam dicto modo, hine inde per muscularium fibrillarum intervalla communicans. Haec tamen valde tenuis est, & paulo difficilius conspicua reddenda, interim certe praesens, vnde ILL. PRAESES, qui in commentariis Boerhaavianis, de hac cellulosa paululum adhuc dubitavit, eam nunc indubitate proponit in recentioribus scriptis suis. c) Sedes est haec squammarum illarum lapidearum, calculosarum, quibus senum arteriae osidentur d), & quae ex succo effuso callescente, deinde fere petrefacto, nascuntur. Intima arteriae membrana laevis est, & polita, de qua vero plura hic non addo. Videbimus sub finem, & hanc, vti reliquas membranas, ex cellulosa tela essabricatam esse. Nunc enim

tantum sermo est de cellulosis, cellulosa spongiosaque sub specie, sine artis mutatione, jam praesentibus, & quas tales esse nemo negat. Verum dicta nunc fabrica arteriae omnium maximae, obtinet per omnes reliquas conspicuas totius corporis arterias, ea saltem cum diversitate, quod in minoribus vafis omnia subtiliora sint. Ergo cellulosa fere fola, maximaque parte, canales arteriofos efficit. minoribus vasculis major adhuc ejus dignitas esse videtur, quod fibrae musculares hic tenerrimae & rarae valde sint. Sed hae fibrae cum cellulosa fabrica arteriam efficiunt, ve vidimus. Non minus eadem ad venarum fabricam confert, etsi in his non adeo densa & resistens, arctaque est, ac in arteriis, vnde etiam arteriis venae longe tenuiores debilioresque funt, in vivo faltem homine. Cum praeterea venae nullas fibras musculares manifestas, nisi forte ad cor in trunco maximo venae cavae, habeant; maximae certe fint cellulosae in venarum structura partes, necesse

- el vid. ILL. PRAESIDEM Physiolog. 6. 28. Cl. LVDWIG. de arter, tun. in Collect. Haller. Tom. II. p. 11.
- 6] LVBWIG c. l. p. 14.

6] Physiolog. J. 28. fq

d] v. D. D. WINKLERI, Differtat. de Lithiafi vasor. Gott.

Proximum magnum viscus, quod vala a corde habet, est pulmo vierque, intra saccum pleurae suae contentus, & ab altero integre separatus. De ejus fabrica diu dubitatum est. Malpighivs olim, ranarum fabrica ad hominem translata, eam fic propofuit, ut totus pulmo constaret primo lobis majoribus a se invicem satis distinguendis, qui vero iterum in minores, distinctos itidem, nec mer

inter se communicantes lobulos subdividerentur; singulos hos lobulos minores cellulis repletos effe, affumebat, quae aërem reciperent, & vasa ludentia circa parietes suos haberent. Propior sane veriori erat sententiae, dummodo labulos a se invicem separatos, nec communicantes inter se, non adfumsisser. Post MALPIGHIVM, alii Anatomici hanc sententiam ita immutarunt, ornaveruntque, vt, loco cellularum, vesiculas vndique clausas, nisi vbi cum suo broncho communicarent, totum tandem constituere pulmonem statuerint. Bronchiorum extremi ramuli, secundum eosdem, tandem in veliculas totidem finiebantur. Contra hanc sententiam jam NIC. STENONIS, BORRI. CHIVS, & alii tum infurrexerunt. Alii postea ad MAL-PIGHIVM denuo conversi, sobulos cellulosos, membrana circumdatos, ab aliis plane distinctos, peculiari cellulosa vel laminulis similibus interstingui adseruerunt, uti Cl. HELVETAVS a); adeo, vt flatu per foramen tunicae externae pulmonis inflictum immisso, sola haec interstitia cellulofa lobulorum inflarentur, compressis ipsis lobulis; e contrario flatu per bronchia immisso, compressis cellulosis interstitiis, lobuli veri tantum surgerent slatu expansi. Lobulos a bronchiis non item, ut priores vesicuias suas, deducebant, sed interstitia lobulorum cellulosa a vaginis vasorum expansis nasci volebant. Celeberr. WINSLOVS earndem fovet hie sententiam, verum lobulos non cellulositate, sed vesiculis repleri adsumit b). Stat ab hac fententia Cl. KAAVE), avunculum fecutus BOERHAAVIVM. LIEVTAVD, fine alia distinctione, pulmonem pro acervo vesicularum habet. d)

a] in Acad. Reg. sc. A. 1718.

b] Tr. de la poitrine §. 103. 100.

^{6]} c. l. n. 139. [d] Eslays Anatom. p. 220.

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C. H. 57

ter o uno, coi se omnes il det giter le vo

Verum quam plurimis experimentis, fumma certe cura institutis, non veram satis esse hanc pulmonis fabricam, aliam autem eamque omnino simplicissimam obtinere, primo inter omnes constitit ILL. PRAECEPTORI. Nempe, five lobulis intus cellulas membranaceas continentibus, sive vesiculis propria membrana clausis, in bronchi ramulum folum patentibus, constet pulmo: debet flatus per bronchum immissus, separata quoque membrana pulmonis externa, suos lobulos vel vesiculas inflare solas, nec per locum membrana externa denudatum erumpere; debet, si uni bronchiorum ramulo soli flatum immittas, intactis reliquis, flatus penetrare in cas folas vesiculas, vel lobulos, qui cum hoc bronchiorum ramo communicant, nihil autem in reliquas venire, debent interstitia lobulorum, vel vesicularum comprimi, & aëre vacua manere. Sed haec repugnant omni modo experimentis ILL. PRAE-SIDIS. Instituit ea imprimis in juniorum corpusculorum pulmonibus. Invenit ergo repetitis vicibus, fi pulmonem aquae submersum, remota hinc inde membrana externa, inflasset, statim aëris bullas in aquam erupisse; denuo, si illaesum extus pulmonem inflasset, aërem bullas copiosas sub membrana externa excitasse, erupturas in aquam, si laedere placuisset tunicam extimam, manifesto argumento, non dari vesiculas, vel integros lobulos, a vicinis propria membrana circumdante ita distinctos, ut aërem continerent, sed hunc per totum pulmonem ad extimam usque membranam libere permeare, fine ullo impedimen-Quaecunque tandem particula pulmonis, vel quicunque bronchi ramus infletur, semper flatus omnem perambulat pulmonem, claro indicio, constare pulmonem textu textu uno, cujus omnes partes inter se communicent, nihil adeo nisi cellulas in se invicem quaquaversum patentes in toto pulmone adesse, nullas vero caecas ampullas, nullas clausas vesiculas, ad quas unicus a trachea arteria aditus detur, reliqui parietes continui & a vicinis vesiculis distincti sint. Unde demum justissima conclusio summo viro est enata, cellulosum, non vesiculosum, pulmonem esse, a) Lobulos cellulosos non negamus, apparent enim vel extus inspicienti; id vero dicimus, hos lobulos omnes inter se, aeque ac unam cellulam cum altera, communicare. Nulla quippe peculiari continua membrana a reliquis dissepiuntur.

a) vid. Comment. Boerh. T. II. p. 154. 155. & Comp. physiol. Cap. de respirat.

6. LIII.

Haec pulmonis fabrica cellulosa a reliquis C.H. cellulosis vix aliter differt, quam quod hic plurimis stratis in acervum congesta sit. Advenit cum vasis in pulmonem, ubi cum horum ramificationibus maxime augetur, albidis, flexilibus, & elasticis laminulis facta a). Eam caeterum reliquae cellulofae similem esse, facile patet in exsiccato & inflato pulmone, qualia praeparata fervat in Thefauris suis ILL. PRAESES. Similis apparet tunc cellulosa haecce inflatis intestinorum cellulosis. Ea insignis est differentia, quanquam ipsam cellulosam substantiam non spectat, quod nulla unquam in hac, uti fit in reliquis cel-Iulosis, secernatur ab arteriis pinguedo. Fieri id nequit ob celerrimum sanguinis per pulmonis vasa motum, qui secretioni tardi adipis contrarius est. Exhalat vero in eas cellulas subtilissimus vapor aqueus, cum aëre, dum exspiramus.

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAEIN C.H. 59

ramus, exiens; ille vapor flexiles conservat laminulas cellulosae, quae, sine humectatione, ab aëre perpetuo perlabente plane exsiccarentur. Verum habet hoc exhalabile simul aliquid alcalini, putredinosi, noxii, quod aërem elatere omni privat. Inde BARTHOLETVS olim salem ammoniacalem obtinuit. Facit idem vapor maximam partem transpirationis Sanctorianae. Sed nobis hic sussiciat, evicisse, pulmones omnino pertinere inter partes ex cellulosa fabrica sactas. Eam scopo respirationis sussicere, alibi, & ab experientia optime, demonstratur.

a) vid. ILL. HALLERVM cit. I.

S. LIV.

Aspera arteria pro externo involucro suo meram cellulosam fabricam habet, ad circellos usque cartilagineos, sibrasque musculares his intermedias. Extima, quae eam ambit in thorace, a cellulosa pleurae & mediastini, in collo a cellulosa vicina vbique ei accedit; interius stratum, sibris carneis propius, forte cum pulmonis cellulis continuum est. Dubitandum non est, quin cellulosus etiam subtilior textus, inter circellos cartilagineos, his adnexas sibras musculares, & intimam laevem sensilemque asperae arteriae membranam intercedat.

§. LV.

Oesophagus, quem superius, sub ventriculi & intestinorum tractatione, intactum reliquimus, cum maxima parte in thorace haereat, quoad cellulosas suas huc pertinet. De reliqua ejus fabrica nunc taceamus, cum aliorsum pertineat. Caret autem tunica membranacea vera externa, & ejus loco ambitur, vicinisque partibus annectitur.

titur, in pectore a cellulosa pleurae s. mediastini postici, per cujus triangulare spatium, dextrorsum primo, iterumque sinistrorsum 'magis declinans, oesophagus decurrit. In collo eundem vicina cellulositas investit. Sequitur similiter inter carneas valentes ejus sibras, & nerveam, cellulosa secunda; intra nerveam, & villosam, tertia, plane ut in ventriculo & intestinis. Demonstrantur similiter slatu, idemque earum usus est, quem superius cellulosis intestinorum & ventriculi tribuimus, cum quibus cellulosae oesophagi continuae sunt, cum superius cellulositati oris, musculorumque pharyngis, procul dubio continuentur.

6. LVI.

Cellulosa pleurae tandem quaquaversum magna vasa, ex corde orta, comitatur, ea in decursu suo determinat, cum stabilitate vicinis partibus alligat, donec extra thoracem aliis cellulis vasa ibi involventibus continua siat. Ab ea pendet slexio parabolica aortae, quam sirmiter posterius vertebris revincit, camque ad exitum vsque in abdomen involvit. Eodem modo, cum magnis truncis adscendentibus versus extremitates superiores & caput, copiosa ambulat, continuata cum reliquo ibi praesente celluloso textu. Hinc adparet cellulosae peritonaei, pleurae, cum ea superiorum artuum & capitis, commercium.

TELA CELLULOSA CAPITIS INTERIORIS, MEDULLAE SPINALIS, OCULI.

Cellulosa artuum superiorum, & capitis externi, ut & colli, pertinet ad subcutaneam, de qua superius jam

est actum. Videndum ergo, quid intra cranium, circa crebrum, partesque huic connexas, se se offerat cellulosi. Vafa, quae cerebrum adeunt, cum cellulofa fua ad usque ingressum in cavitatem cranii ambulant; ulterius deinde, etsi molli cerebri substantia undiquaque cingantur, sine dubio tamen teneram adhuc & subtilem cellulosam ubique comitem habent, aliunde secum advectam. Veram autem cellulosam, at subtilem, deprehendimus inter arachnoideam & subjectam huic piam matrem, quae duo haec cerebri involucra conjungit, flatu manifesta, si arachnoidea demonstranda sit. Visibilis per se est, ubi arachnoidea gyros cerebri superscandit, pia imum subeunte Imprimis ibi adparet, ubi facilius arachnoidea a pia matre separatur, uti versus inferiora cerebri, in basi cranii. Per hanc telam ubique repunt vasa, exteriorem superficiem cerebri & sulcos pingentia. Piam matrem, injectio docuit, esse subtilissimorum jam vasorum sanguineorum textum; Sed adest aliquid praeter vasa, quod non dubitamus, quin sit tenerrima tela similis, vascula haec conjungens, firmans, ordinans. Imo Cl. a BERGEN nihil aliud credit piam matrem esse, quam ea infinita vascula fibrillis cellulosis ab arachnoidea ortis & demissis inter se connexa, arachnoidem autem esse stratum cellulosum supremum a). Sunt tamen rationes, quae omnino fuadent, peculiarem omnino membranam arachnoideam esse, cum arachnoidea medullae spinalis a pia matre distinctissima sit, & integro pede longior. Quod si vero a majoribus hisce ad minora, & minima, femper concludere liceret, non adeo absonum foret credere, ipfa subtilissima vascula, corticem & medullam componentia, cellulosis filis itidem subtilissimis, sibique proportionatis, inter se se conjungi & ordinari. Sic musculi ma-

62 DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

maximi lacerti, & minimae microscopicae fibrillae, eodem modo cellulosis filis cohaerent, iisque obvolvuntur.

in Commerc. litt. phys. techn. Nor. 1736. hebd. 34. & Progr. de structura P. M. Francof, ad Viadr. 1736. WINSLOOTs. de la tête n. 52.

6. LVIII.

De dura matre mox plura inferius videbimus, & hic nihil notamus, quam duos sinus cavernosos, s. laterales ossis sphenoidei, inter duplicaturam durae matris sitos, supra sinus petrosos. Illi sinus praeter vasa, & nervos, quos transmittunt, replentur peculiari quadam spongiosa admodum cellulositate, simili fere illi corporum cavernosorum penis, sed molliori. Sanguis similiter in eam effunditur, eamque rubro colore tingit,

6. LIX.

Circa medullam spinalem, arachnoidea cum piamatre eodem modo, eadem cellulosa media, etsi laxius longe, conjungitur, quamdiu pergit P. M. Nihil est, quod hic attendamus, quam, quod inter duram matrem, & canalem vertebrarum, intercedat adhuc species quaedam adipis s. pinguedinis, quae tamen subinde, nescias, quam glutinosam & mucosam substantiam refert, subinde pinguedini verae similis valde est. Ita semper invenit ill. PRAESES. Quicquid sit, dubitare non possumus, quin loculos suos continentes cellulosos habeat ista substantia.

6. LX.

A cerebro & medulla spinali, ad oculum pergimus. Ad hunc tendens nervus opticus diversam satis a reliquis fabri-

fabricam ostendit. Scilicet medulla ejus interior peculiaribus, subtilissimis, & irregularibus membranulis, cellulosis haud absimilibus involvitur, striaeque medullares hic non, vt in aliis nervis, adeo sibi regulariter paralelae videntur. a) Expressa ex nervo ea medulla, quod fieri hic omnino potest, tota interior nervi fabrica, jucundo spectaculo, cellulosa, porosaque adparet. Non tamen confundendae hae cellulae cum poris illis minimis, qui a dissectis vasis ramulisque arteriae ophtalmicae, hunc nervum penetrantibus, oriuntur. Laminulas eas in nervo optico sic conspicuas a pia matre esse vix dubitamus, siquidem ipsa fasciculos medullosos per omnes nervos, secundum celeberrimorum Anatomicorum fententiam, involvit & comitatur. Suspicati vero supra S. LVII. sumus, dari in pia matre, praeter vascula, fabricam quoque cellulosam, quae itaque & nervos inter se conjungeret. Cur autem hic adeo peculiaris in hoc nervo, & diversa ab aliis structura CREATORI placuerit, profunde latet. In globo oculi, inter tunicam scleroticam & choroideam, praeter vascula arteriosa, venosa, nervulosque, subtilis quoque & tenerrima cellulofa has membranas conjungens haeret b), tenu-Eam tamen Celeberrimus issimo exhalante rore madida. STAEHELINVS, in vitulino oculo, veram pinguedinem continuisse observavit. Limiti scleroticae & corneae, circumcirca firmissime adnascitur choroidea, specie albi circuli, qui distinctae omnino fabricae est. Vocant hunc circulum orbiculum ciliarem. Nihil ille est aliud, nisi dura, callofa, & valde stricta cellulofa, quae has tunicas conjungir. Fortissima certe haec est adhaesio, quae aërem inter scleroticam & choroideam immissum nullo modo transmittit. Conjunctiva, accessoria illa & imperfecta anterior oculi tunica, a palpebrae cujusque interiori facie supra OCU-

oculum reflexa, scleroticae cohaeret ope intermediae, tenerae admodum, inflabilis tamen cellulosae, cum ipsa a palpebris huc continuatae. Inter conjunctivam vero & corneam, aut nulla amplius, aut strictissima superest, nam difficillima ibi sit separatio conjunctivae a subjecta cornea.

a) WINSLOO Tom. IV. n. 225.

b) ILL. PRAFSES in Commentar. Boerh. Tom. IV. p. 142. not. c.

c) vid. EI vs specimen anatoin. botan. Basil. 1721.

S. LXI.

Corpus vitreum oculi, adeo pellucidum, vt pro humore omnino eatenus imponere possit, nihilominus ad cellulosam quoque pertinet fabricam. Id tamen diu jam notum fuisse, haud ignoro. Constat totum hoc corpus membranulis tenerrimis, subtilissimis, pellucidissimis, spatiola omnis generis intercipientibus, plena effuso in ea limpidissimo humore. Observat Celeberrimus winsLovs, hasce membranulas, seu, vt MAGNO VIRO adpellare placuit, haec feptula, vndiquaque demitti a lamina interna capfulae lentis vitreae. a) Vt cellulosa haec fabrica adpareat. emittenda sensim est e cellulis suis aqua, tunc relinguuntur illae minimae membranulae, corrugatae. b) ILL, MOR-GAGNVS, WINSLOO, alique clari viri, hoc scopo humorem vitreum jubent aliquamdiu immergi liquori alicui acido, aut congelari, quo vltimo modo vius est in hoc scrutinio'ILL. PRAESES.c). Non ergo plane desperandum fuisset LEEVENHOEKIO de detegenda vera fabricalentis vitreae. Imo vitream hancce cellulosam cum reliquo C. H. celluloso textu communicare, demonstrat, si verum est, experimentum, quod in Gallia vidit LITTRIVS d), nempe, in emphysemate aërem penetrasse in corpus vitreum, & il-

illud turgidum reddidisse. Huc denique referendus adhuc est circulus quidam, lentem crystallinam ambiens, FRANC. PETITO jam observatus; ille nihil aliud est, quam spatiolum quoddam in circumferentia maxima lentis, natum, dum lamina interior capsulae humoris vitrei ab exteriori secedens, retro lentis crystallinae corpus sese abscondit, & cum ejus capsula continuatur, dum exterior lamina circumferentiae maximae lentis adhaeret. Flatu immisso, ILL. PRAESES cellulofitate repletum invenit hunc circulum, hinc aliquid quasi striati habet, quod Galli nomine godronné exprimunt.

a) v. Tom. IV. Tr. de la Tete n. 230.

- b) Ita vult institui experimentum MAGNVS BOERHAAVIVS Commentar. Tom. IV. p. 160. 161. vid. explicantem ILL. PRAESIDEM p. 161. not. d*.
- c) vid. c. l. p. 195. not. a.

d) Mem. de l' Acad. des Sc. 1713. p. 16.

TELA CELLVLOSA GLANDVLARVM.

S. LXII.

Ad glandularum fabricam, atque differentiam, cellulosa tela plurimum fine dubio confert. Mirum interim est, Clarissimos Viros, in exponenda sua de glandularum fabrica sententia, omni attentione vasis dicata, nullam fere ejus mentionem fecisse. Sed, si tanquam axioma aliquod nos adfumere alibi cogit anatome, nullum vas in corpore nostro fine cellulosa sua ambulare, ejusque cellulosae solius ope vasa inter se conjungi: sequitur, cum hodie pro glomere vasorum omnes glandulae conglobatae & conglomeratae a peritissimis habeantur Anatomicis, dari quoque in his vasculorum labyrinthis cellulosam subtilem, filosam, quae millena illa vascula inter se nectat, ordinet, firmiter colli-

colliget. Differentia glandularum dictarum, quod cuique facile patet, pendebit tunc omnino, magna ex parte, a diversa cellulosae glandulas ingredientis laxitate, subtilitate, a diverso modo, quo in diversis glandulis vascula inter se connectit, inflectit, eaque aut in firmulum globum, aut aliam formam tandem colligit. Si vasorum diversae flexurae, angulique, aliquid faciunt ad fecretiones diverfas, aliquomodo etiam secretio diversa glandularum inde poterit patere. Sed in flexibus his vasorum aliquid positum esse, inde docemur, quod in nullo viscere secernente vltimorum vafculorum eadem fit, ac in alio, dispositio, ordinatio. Id RUYSCHIVS, alique celebres VIR Linjectionibus fuis nos clare docuerunt. Sed ratiociniis accedit omnino experientia. Nunquam vlla adeo felix fuit injectio, vt totam aliquam conglobatam glandulam repleverit, & rubefecerit, (vascula rupta excipio,) quin albi & spongiosi aliquid semper inter injecta remanserit, id fatentur omnes. Conclusio vero inde enata, non injecta injectis fimilia esse vascula, non omni ex parte valere mihi videtur. Possunt omnino vascula nondum injecta remansisse, quum, quo felicior fuerit injectio, eo plus rubeat particula injecta. Verum eodem modo potuerunt albae remanfisse fibrillae illae cellulosae, vascula illa nectentes, cum nulla injectio, nifi nimia maceratione dissoluta & perdita cellulofa, aut ruptis vafis, omnia hic rubra efficiat. NVKIVS, qui maximam operam in glandulis posuit, textum cellulofum, quem ille muscofum vocabat, in glandulis conglobatis omnino adgnovit, a) etsi vascula non negavit. Nullus adeo dubitat IL L. PRAECEPTOR b), propriis experimentis hac de re edoctus, quin vascula illa intorta glandularum lymphaticarum, quales conglobatae funt, omnino haereant in tenera, angusta, strictaque, molliuscula

DE DIGNITATE TELAE CELLVLOSAE IN C. H. 67

amen cellulosa, quem adparatum firma externa membranula involvat.

a) vid. Ejus adenograph. p. 36.

b) vid. Compend. physiolog. J. 186. Comment. Boerh. Tom. II. p. 401. 402.

6. LXIII.

In glandulis conglomeratis, quae teste subtiliori anatome iterum vasculoso textu maxima parte constant, cel-Iulofae vasculis intermediae iterum certa est praesentia. Ea etiam exterius,& circa superficiem harum glandularum, manifeste inter acinos majusculos adparet. Vltimi illi globuli glomeresque vasculorum, in his glandulis, sine dubio a filis cellulosis, vascula ita contra se invicem intorquentibus & colligentibus, pendent, vnde etiam duriuscula illorum consistentia deducenda esse videtur. In testis fabrica, subtilissima & pellucida cellulosa vascula secretoria manifeste in minimos globulos glomerculosque colligit, oculo nudo tamen adhuc visibiles. Sic pergit cellulosa ex minimis acinulis sensim majores colligere, tuncque jam oculo satis manifesta sit, donec, acinis maximis ab ea efformatis & inter se conjunctis, tota glandula conglomerata componatur. Quaedam harum glandularum exterius deinde circumdantur adhuc in toto ambitu suo duriori, densa, tenaciorique cellulosa, cultello valde resistenti, qualem observare licet circa glandulam parotidem, submaxillarem &c. Cellulofa conglomeratarum in vniverfum laxior est, quam aliarum glandularum, attamen firma, & plerumque peculiaris duritiei & tenacitatis. Ea dissoluta, dissiliunt acini glandulosi, totaque facies glandulae mutatur; vt adeo figura, consistentia, diversitas ab aliis, omnino a cellulosa, vasa connectente, repetenda sit. Differt tamen cellulositas in ipsis iterum diversis conglomeratis glanglandulis. Hinc glandulae submaxillares, & sublinguales, continuae omnino sibi, jam sunt parotide aliquanto molliores. Valde mollis glandula thymus est, mollem valde laxamque cellulosam nactus, manifestissime lobulos ejus minores, dextrumque & sinistrum thymum, (nam sunt revera duae distinctae glandulae) inter se connectentem. a) Simili fere mollitie thyreoidea glandula est. Durissima e contrario, & solidissima est prostatae substantia, quam etiam, incerti adhuc funt Maximi Anatomici, ad quamnam glandularum speciem referant. Et haec de cellulosa glandularum in praesenti sufficiant.

a) vid. Doctiffimi Viri Avg. LvD. de H v G o Differt. inaug. de gland.

in genere & thymo in specie §. XL.

TELAE CELLVLOSAE VLTERIOR IN C. H. AMBITUS.

6. LXIV.

Vidimus hactenus eas in C. H. cellulosas telas, quarum habitus cellulofus, spongiosus, rarus, omnium oculis, tum sponte, tum exiguo tantum flatus immissi molimine, adparet. Verum multo longius telae cellulosae limites extenduntur. Cum de pulmonibus sermo esset, vidimus manifestum exemplum, quomodo haec ipsa tela integras nobilesque corporis nostri partes esficiat, idemque in humoris vitrei fabrica patuit; vidimus porro, quanta pars reliquorum viscerum ad eam pertineat. Pergimus nunc, vt ostendamus, eandem cellulosam omnes corporis membranas, maximas & minimas, folidiffimas quoque, efficere, iisque praecipuum dare fundamentum, stipatam tantum & arctiorem.

LXV.

Initium sumimus a tunica sic dicta nervea, totius canalis alimentarii vera basi. De hujus fabrica prioris

praesentisque saeculi Anatomici quantum dissenserint, neminem latet. Alii enim, ob albedinem nervis similem, eam ex nervis componi rati, nerveam adpellarunt, quod equidem nomen sensu Veterum, quibus veupos non nervum tantum, fed & tendinem, membranam, ligamentum, fignificabat, ferri posset; Alii, ut verheyenvs, ob plurima, quibus percurritur, vascula, vasculosae nomen ei imposuerunt, quasi hisce solis constaret; Aliis glandulosa audiebat, quod nomen minus, quam ofinnia reliqua, ipfi convenit; Aliis demum, cum HELVETIO, aponeuroticam eam vocare placuit. Interim, quid revera effet, omnes ancipites haerebant. Fibris tendineis vario ordine decussatis, imo nerveis etiam, eam componi, plurimi tandem crediderunt. Sic disceptatum est, donec omnia alia clare demonstrasset ALBINI solertia a). Demonstravit MAG-NVS VIR, si inverso ventriculo, vel intestino cuidam flatum immississet debita copia et vi, tunc flatum eum sensim cum vasis fibras musculares penetrasse, ad cellulosam secundam nerveamque usque, nerveam autem ipsam demum, deposito stricto & aponevrotico suo habitu, in spongiosam, laxam fabricam, uno verbo, in cellulosam raram mutatam fuisse. Tentavit idem saepius ILL. PRAEses, felicissimo cum successu, qualia elegantia praeparata ipfi mihi in Thefauris EIVS conspicere saepius licuit. Inverso nempe ventriculo, flatus per sedem rescissi omenti, in intestino inverso ibi, ubi mesenterium & mesocolum abscissum est, penetrat, sic enim, discissa ibi tunica externa, patet iter ad interiorum parietum fabricam. Eo melius res fuccedit, fi aliquot dierum maceratio in aqua praecesserit. Nemo interim, tale praeparatum intuitus, sibi imponat, quasi nervea in statu naturali, arte non accedente, rarae adeo cellulosae forma existat. Nam nihil hic

hic aliud volumus, quam ut demonstremus, nerveam tunicam, quantumcunque firmam & solidam, constare praecipue cellulofa fabrica denfa, compacta, fibrillisque arctissime stipatis, abesse autem omnem fabricam regularem fibrarum tendinearum, nervearum, similiumque; vascula plurima tunicam non facere, sed tantum pingere. Sed si de hac vera sunt, quae diximus, statim sine errore idem de simillimis tunicis nerveis vesiculae felleae, ductuum bilariorum, vesicae vrinariae, vreterum, &c. praedicabimus. Nam omnes sunt simillimae, sine ulla differentia oculis observanda, s. nudis s. armatis. Ergo firmiter concludimus, omnes has ad cellulosam stipatam arctiusque contextam, pertinere. Nec maceratione & flatu vna deficiet, quin in habitum cellulosum abeat. Idem in abdomine de peritonaeo, in thorace de pleura, itemque de intimis vasorum tunicis adserere nullus dubito, cum sint similes nerveis his citatis. Nemo unquam unicam veram regularem fibram, nedum texturam aliquam regularem, ex fibris parallelis, decussatis, panni modo intertextis, aut similibus, in iis demonstravit certa fide, nec imposterum quisquam demonstrabit. Et quid significat asperitas externa harum membranarum, ipsis ubique adhaerens, cellulosa? · An credere velis, duas illas partes, membranaceam & cellulosam toto adeo coelo differre? Nonne jure concipere licet, in tenero adhuc foetu ambiisse magnas cavitates meram glutinosam, cellulosam sensim factam, substantiam; hujus, partem visceribus proximam horum perpetuo motu, & pressione, in abdomine sensim in verum peritonaeum, in thorace in membranam pleuram, compactam, compressam fuisse; spongiosum remanfifle textum exteriorem ab hac vi paulo remotiorem. Aliis modis Naturam idem alibi obtinere potuisse, non nego.

Sed

Seda peritonaeo denuo, per ipsam rei naturam, conclusionem ad omnes externas ventriculi, intestinorum, viscerum reliquorum, tunicas transferimus, quae peritonaeo continuae, & ejusdem naturae sunt. In thorace, ad externam pulmonum tunicam a pleurae natura argumentamur. De pericardio res certissima est, macerando illud abire in cellulosum laxum habitum, expertus est ill. Praeses, & supra jam dixi, vaginas a pericardio, quae initium magnorum vasorum adhuc investiunt, sine arte sensim degenerare in cellulosam telam vasa comitantem. Dicta hactenus, etiam de arachnoidea cerebri & medullae spinalis, itemque desmembranis soetum ambientibus, valent.

a) Diss. de Intest. tenuib. vid. tamen simile quid apud winsloum Tom. III. n. 63. 64,

S. LXVI.

De periosteo ossium, & huic continuis perichondriis, capsulis articulorum, nullum dubium est, quin eadem sentiamus. Natura periostei in soetu optime patet, cui multo crassius, pulposius, spongiosius est, quam adulto; sensim vero a musculis superimpositis magis coarctatum, compressum, tenuius omnino in adultiori aetate sit. Imprimis vbi articulum aliquem superscandit, sirmiter circumquaque epiphyseos limiti annexum, ibi a perpetuo motu tendinum plerumque superinjectorum, & adalterum os transeuntium, in callosas & tenaces capsulas articulatorias compingitur, quibus dein vera ligamenta, de quibus hic nondum loquimur, superinsternuntur, crassitiemque capsulae, ubi adsunt, augent. Periosteo eas sieri super articulum porrecto, iterum in soetu manifestissimum est. De periosteo vero patet, nihil voluisse Naturam,

quam

quam ut offibus aliquid circumjiceret, quod vascula eorum nutritia nervulosque sustineret, necteret, in ordinem disponeret; sed alibi in corpore nostro sibi satisfecit, cel-Iulosam telam vasculis interserendo, hinc nihil est, quod credere nos cogat, aliam fabricam hic posuisse CREATO-Sensilitas ingens minime demonstrat, totum periosteum fieri nervorum textu, id tantum indicat, plura, quam alibi, filamenta nervea per periostei reliquum textum decurrere. Si praeterea verum est, omnia periostea durae matri continua esse, magis adhuc nostra inde confirmabitur sententia. Nam haec dura mater, pro solidislima omnium membrana ab omnibus habita, in experimentis ILL. PRAECEPTORIS, brevi maceratione, in flocculentum omnino cellulosumque habitum, aeque ac aliae membranae, abiit. Quod experimentum ego imitatus, verissime ita se rem habere, in portiuncula durae matris aliquandiu macerata, egregie vidi, & amicis meis monstravi. Adeo dura mater nullis regularibus, tendineis, aut, si diis placet! plane musculosis constat fibris, aut quae panni instar in eam membranam contextae sint.

S. LXVII. 19 20111513 Other the

Tandem princeps integumentum corporis nostri, universa cutis, certissime ad cellulosas stipatas pertinet. Est cellulosa stipatissima, filis brevibus omni modo intricatis, arctissimeque sibi intertextis, constans. Nulli rei melius, quam pilei texturae, eam compares. Maceratio vero laxat arctum hunc contextum, & manifeste cellulosum flocculentumque reddit, idque eo magis, quo diutius macerando pergis. Nihil tunc fibrarum regularium, tendinearum, aut aliarum, sed mere spongiosus cellulosus textus adparet, qui aquam spongiae instar de-

mum

mum imbibit, postea exprimendam, ut vndique quasi ex spongia guttatim profluat. Ipse cum cute quoque, aeque ac cum dura matre, experimentum institui, ut nihil dubii mihi remaneat. Sollicite autem prius omnem cellulofam subcutaneam adhaerentem a portione cutis maceranda separavi, ut rasa omnino accuratissime esset. Sed post unius alteriusve septimanae macerationem, ipsa illa externa superficies, antea derasa & laevigata, aeque hirfuta ac aspera erat, cellulosis filis relaxatis ab aqua, quam fere antea fuerat, cum nondum penitus esset repurgata. Sic successive laxabantur strata etiam interiora, donec plane ista portio in laxam spongiam resoluta suisset. Adeoque cellulosus textus cuti princeps fundamentum dat. Ea cellulosa deinde vtique plurima habet ipsam ornantia, percurrentia vasa, arteriosa, venosa, nervos, glandulas; minime id negamus, dum cutem cellulosa fabrica constare defendimus. Manifestissime porro haec cutis fabrica adparet in corio, quod disruptum violenter verissime spongiosum, filamentis brevissimis constantem, & abomni fibrarum regularitate alienissimum textum exhibet, cujus quoque in vtraque cutis vel corii superficie nihil plane adparet. Nemo obiecerit ea cutis loca, quibus tendineae fibrae insertae sunt, uti in vola manus, planta pedis, cervice, circa lineam albam abdominis, fieri non ignoramus; funt enim eae fibrae cuti non propriae, sed ipsi accedunt a tendinibus, vel aponevrosibus, hinc inde cuti subiectis. Insuper dubium certe esse potest, an non ipsi tendines ad cellulosam fabricam pertineant, cum tendo musculi plantaris expandi possit in latiusculam pellucidam membranam, amissa forma tendinea, idque sine vi, vel solis digitis.

g. LXVIII.

Cutis' cellulosa fabrica insuper eo certior est, quod tunicae nerveae totius canalis cibarii, quam cellulosa stipata constare supra demonstratum est, verissime continua fit. Cutis enim, ubi ad os, nasum, anum &c. pervenit, minime ibi, ut videri posset, desinit, sed vbique introrsum, mutata leviter duritie sua, continuatur in membranam oris interni, palati, linguae, faucium, & tandem in nerveam oesophagi manifeste abit. Idem fit in ano, vbi nervea denuo in cutem externam, vel haec in illam, abit. Sic cutis intra nares fit membrana Schneideriana, quae tamen cum faucium membrana itidem continua est. auribus abit cutis ad vsque membranam tympani, molliuscula ibi,& pulposa magis,quam exterius fuerat. Ubique eam sequitur epidermis, quae villosa fit in primis VIIS.

S. LXIX.

Ergo omnes cognitae membranae & tunicae in C.H. ad fabricam cellulosam stipatam pertinent. Superius 6. LXIV. iam ostendimus aliquomodo, qua ratione forte laxae cellulosae sensim in adeo firmas membranas abire potuerint. Arteriarum, & reliquorum vasorum internam laevem membranam, ipsum fluentum humorum rapidum sic stipare potuit, continua pressione liquidorum omne vasis punctum aequaliter vrgente, vase reagente. Nonne tenerrimi foetus cutis, ab ipsa perpetua aquarum vndiquaque avequabili pressione, sensim compingi, & in tenacem illum textum firmari potuit? & nato foetu id ab aëris actione, & reliquis ambeuntibus corporibus vlterius factum? Forte vbique modus, quo id factum est, fuit simplicissimus. Adeo certe dura sunt involucra illa densa tumorum cysticorum, vt saepe difficulter cultro discindantur;
sed nata sunt ex laxissima cellulositate, compressis sensim
& inter se coagmentatis laminulis cellulosis, a materia in
cellulam vnam, aut plures, essus, stagnante, sensim aucta,
indurata. Certe hinc optime discimus, quomodo ex laxissima mollissimaque cellulosa, sola compactione, solida
& firma membrana nasci queat.

§. LXX.

Maximus ergo ambitus; summaque nobilitas est Cellulosae Telae in C. H.Patebit id cuique, cui ex ante dictis recordari placuerit, musculos omnes, nullo excepto, quam plurimos fane, & tantam corporis partem efficientes, non tantum plurima cellulosa tela exterius ambiri, sed fingulas eorum fibras, ad microscopicas vltimas vsque, ea revinciri, copiosissima, vt in cellulosa quasi natent, vicinisque ejus ope connecti; vasa corporis omnia itidem non folum copiosa cellulositate comite vbique ambulare, sed ex ea fere sola constare, numero autem infinita esse; vafa haec, cum cellulofa, conficere fere omnium viscerum molem; nullibi duas partes in C.H., aut membranas duas sibimet sine eadem connecti; ex cellulosa hac, ipsas maximas minimasque membranas, tunicas, omnes factas effe, cute ipsa minime excepta; ab hactela partium mollium omnem firmitatem, stabilitatem, mobilitatem determinatam, vaforum diversissimas flexiones, partium figuras, situs relativos, glandularum differentias, viscerum diversitatem, tantum prouti cellulofa vel laxior, vel strictior, mollior, vel durior fuerit, dependere. Videbit facile, qui secum haec perpenderit, parum fane abesse, quin totum corpus efficiat Cellulosa tela; dubitabit merito, an non ea sit,

vnde forte CREATOR totum struxerit hominem, imprimis si meditanti in mentem venerit, non adeo magnam revera differentiam videri inter fibram muscularem & cellulosam, si excipis facultatem contractilem & motricem, qua gaudet musculus, cum elotus musculus perfecte sensim palleat, & fibrae ejus longae componantur ex infinitis brevibus fibrillis lateraliter fibi invicem intortis; offa autem ipsa plurimam cellulosam fabricam ostendere, a reliqua, duritie tantum sensim contracta, differentem. bitur porro magis hac in suspicione, qui considerat phaenomena in aliis animalibus, etfi homine longe imperfectioribus, vt polypis, lumbricis, stellis marinis, aliisque similibus, a MAGNIS VIRIS toties observata: Partes nempe nobilissimas hisce animalculis recissas, sensim glutine e locis vulneratis effluente, cellulosa fibrosa tela postea inde enata, brevi tempore amissis perfecte similes, ipsis restitutas suisse; eo modo, observante ILLVSTRI REAV-MVRIO, cancris majoribus etiam chelas totas rescissas postea recrevisse, aeque fortes mobilesque, testaque superinductas aeque dura, quam quas perdiderant. Quod si vero nolit aliquis nimis cito ab his animalculis ad hominem concludere, videbit tamen, posse talia sieri, & actu sieri in his bestiolis, nihil vero obesse, quin & simillima in homine formando, secundum epigenneseos systema, contingere queant, eas quoad partes, quas manifeste aut nullas adhuc, aut summe imperfectas habet embryo, vermiculo figura sua adhuc proximus; cum praesertim vix credibile sit, Naturam, quam saepe simplicissimam alibi observando admiramur, in animalibus eosdem effectus totuplici methodo produxisse. Patebit ergo, in systemate evolutionum partes omnes praefiguratas, fine necessitate, & summis cum difficultatibus adfumi, quarum magna parte systema epige-

epigeneseos, cujus manifesta vidimus alibi in regno animalium exempla, caret. Denique constabit, ad cellulosam telam haud exiguam partem doctrinae illius celebris, de fibris laxis, aut strictis nimis pertinere. Dignitas materiae fine dubio accuratiorem longe & vberiorem tractationem merito postulasset. Interim, quiscunque sis, B. L., juveni, cogita, theses oppugnandas ab Adversariis proponendas fuisse, cui vero ob breve temporis spatium, tot inter agenda, non potuerint non plurima adhuc deesse, quae ad thema adeo nobile solide elaborandum, propriisque, nec aliis, experimentis vbique confirmanda adferta, necessaria forent. Evolvat, quicunque de veritate hic adsertorum mille modis certus esse cupit, evolvat, inquam, perpetuo studio, scripta, ante omnia, MAGNI HALLERI, PRAECEP-TORIS, & PATRONI, quoad vixero, nunquam fatis mihi devenerandi, qui sane primus telae cellulosae in C. H. veram praestantiam, vt infinita alia, acutiori oculo, indefessa manu, suspicienda denique mentis acie, Medico Orbi demonstratam dedit. Svmmi viringenuae solidissimaeque institutioni, demonstrationibus incomparabilibus, sermonibus quoque privatis, quae forte bona & vera hic scripsi, gratissimo animo debeo, & cum tot aliis tantisque in me immeritum collatis beneficiis, aeternum debebo,

FINIS.

ADNEXA

- I. Spiritus Vini non est solummodo oleum subtilissimum, fed & acidum continet.
- II. Corticem Peruvianum in nervos potissimum agere, fumme probabile est.
- III. Respiratio omnino videtur inter actiones voluntarias referenda effe.
- IV. Callus offium nihil est organici, sed merus succus osseus in locum fracturae effusus & coagulatus.
- V. Corpus Humanum, quoad durissima solida sua, vi vitae confumi, & regenerari, certum est.
- VI. Calor fanguinis maximam partem a pulmonum actione pendet.
- VII. Aër elasticus in sanguine & reliquis liquidis nostris non datur.
- VIII. Causa pestis verae in aëre non haeret.
- IX. Sensorium commune non in vna cerebri regione, sed in tota eius circumferentia quaerendum est.
- In inflammationibus sanguis omnino per adiposos ductus in cellulofam exit.

SCHOBINGERO SVO

S.

ALBERTVS HALLER.

Judum nihil mihi gratius, nihil magis exoptatum, quam hae ipsae Litterae, quas publice ad Te scribo, vellemque multo perennius superesse, quam a charta possit sperari. Rara mihi est voluptas. Sed haec tamen suam raritatem compensat puritate, vivido acumine. Ассері Те, мі SCHOBINGERE, ab Avunculo tuo, Amico meo vetere, fido, unico in studiis communibus, cujus amicitiam, quoad vivent mea carmina, scient posteri, inter summa vitae bona me numerasse. Meae sidei Te, carissimum nepotem, & ex amoris lege unicum filium, credidit VIR OPTIMVS. Eum ipsi reddo talem, qualem vix spe aut votis, credo, exspectaffet, adeo ab omni vel minima vitae macula immunem, in liberrima studiosorum civitate innocentia, integritate morum, indefesso studio, unico veri & boni amore infignem, ut meos filios Tui similes ultimis meis votis & audacisfimis a fummo Bonorum Datore efflagitem. adeo non Academica solum Dignitate, sed insigni rerum medicarum peritia, remitto ad Amicum meum, & id ipfum inter ea est, unde voluptatem purissimam concipio, quod pretiosissimum quasi pignus, apud me depositum, integerrimum.

CONTRACTOR

mum, & multo cum suo fructu ditius, ornatius, reddere liceat. Ita vale, & sub oculis Avunculi, felicissimi & peritissimi Clinici, civium subveni malis, gaudeque iis bonis, quae conscientia rectae mentis sola impertit, & Avunculi amicitiam aliquid etiam inter me & te fine valere.



moromante felle troops, and o ver & bear amerendariem;

finite a firming Bonorum Thatore office inches the thirt

mice ca ell, wande remprateing trume the comprareings presidential data bisult in a selection of the selection

the state of the s